THEOLOGIA
MYTHOLOGICA

VIDELICET


De nominum Deorum Gentilium ratione:
De imaginibus, aut formis, insignibusque eorundem.
Et omnium imaginum explanationes allegoricæ.

Ex Doctissimorum virorum promptuario in compendium congesta labore

PICTORII VILL.

Editio recentior & emendatior.





FRANEQUERÆ,
Excudi curavit JACOBUS HORREUS
Bibliopola, MDCXCVI.

TYRONI.

Arma Deum, formasque velis si nomina prisca
Gentis, & archanum noscere schema, tyro:
Hunc in delitiis habeas studiose libellum,
Qui veterum casta gliscit adesse penu.

AUTORUM

CATALOGUS

Ex quorum monumentis hæc collecta sunt.

Ex Poëtis.

Homero.
Theocrito.
Hesiodo.
Euripide.
Orpheo.
Arato.
Q. Ennio.
Virgilio.
Horatio.
Terentio.
Plauto.
Ovidio.
Ausonio.
Claudiano.
Tibullo.
Publio Mimographo.
Propertio.
Papinio.
Juvenali.
Marullo.
Silio.
Mantuano.
Tho. Moro.
Elisio.
Her. Buschio.
Fausto.
Lippio.
Octavio Cleoph.
Pontano.

Ex Historicis.

Herodoto.
Laërtio.
Plutarcho.
Hirtio.
Sallustio.
Livio.
Solino.
Diodoro.
Eusebio.

Ex Cosmographis.

Strabone. *Ptolomao.*

Ex Oratoribus.

Luciano. *Plinio.*
T. Cicerone. *Cecilio.*

Ex Grammaticis.

Festo Pomp. *Donato. Servio.*
M. Varrone. *Probo.*

Ex Mixtis.

Erasmo. *Paulo Marso.*
A. Gellio. *Anth. Ferrariensi.*
Macrobio. *Ænea Silvio.*
Ang: Politia. *Maffejo.*
Apulejo. *Lactantio.*
Seneca. *Luscinio.*
L. Cœlio Rho. *Verrio Flacco.*
Philip. Beroaldo.

Ex Philosophis.

Platone. *Boëtio.*
Aristotele. *Alberto.*
Albrico. *Anglico.*

Ex Theologis.

Augustino. *Beda.*

PIC-

PICTORII VILL.

De Theologiâ Mythologicâ capitum

INDEX.


FINIS.





D. GEORGIO KECK

Hechingano Friburgensis Ecclesiæ fidelisſimo curatori, Ambroſio Kempff nobili, & Joanni Kaſtmeiſter archigrammathæo, autoritate prudentiaque ornatiſſ. & bonarum artium magiſtris, Pictorius apud Friburgum Briſgoicum pædonomus, S. dicit.



Summo conatu ſtuduerunt vitare ſuperioris ætatis homines (ingenii candore, nobilitate, prudentiaque celeberrimi viri) ne ſcriptorum ſuorum monumenta, quibus jam collophonem adieciſſent, ſine principis alicujus tutela adverſus invidorum ronchos, criticorumque furioſam rabiem divulganda in publicum prodirent: quam quidem ſolertiam & eorum ſuaſit induſtria, vel præexcellens integræ ſapientiæ ſtudium, & principum velut ex debito poſtulavit eximia virtus. Cujus rei exemplo eſt Julii Pollucis ad Commodum Cæſarem incomparabile o-

pus; Æliani de instruendis aciebus ad divum Hadrianum liber eximius, Diophani ad Dejotarum regem de agricultura volumen, Victruvii de architectonica ad Augustum præclaræ eruditionis codex, Flacci ad nobilissimum Hetruscorum equitem multa opera, Oppiani tractatus de piscibus magna cum laude ad Antonium missus. Et demum (nam singula enumerare non statuimus) quos principes ab illustrissimis natalibus nobilissimos divinus ille Erasmus: qui quo principibus humilior, eo his sublimior, qui quo principibus doctior, eo quoque his nobilior: multo nobiliores suis libris non effecit? Ast ego cum vos omnium virtutum uberrimas cognoverim scaturigines, præsertim quando is qui inter vos primas tenet sic dominici gregis pascit oves, ut pabuli vice nihil eis obiiciat quàm sacrosanctum euangelii verbum: Et alter Augiæ sic abhorreat viciosum stabulum, ut non ob generis tantum nobilitatem, sed ob vitæ suæ celebrem probitatem, nostræ Ecclesiæ perpetuus à consultissimis hujus civitatis patribus optimo jure videatur electus thesaurarius. Tertius item tantæ sit prudentiæ, ut vel sedendo Romanos vinceret, cui tale ap-

po-

ponere non inconſentaneum videtur elogium:

Egregius ſcriba eſt, tenuem perfectus ad unguem:
Eſtque bonus, prudens, impiger, aſſiduus,
Arcani cuſtos fidiſſimus; utilis urbi;
Lucrum ingens nolit, parva lucella velit:
Eſt comis ſermone, ſtilo gravis, arte politus;
Vlvidus ingenio, vividus & calamo.

Dum hæc inquam cognoveram, vos quoque principes eſſe judicavi, & tales, ut labores meos pingui admodum Minerva elaboratos ſub veſtro conſultum judicaverim publicari auſpicio. Maxime ibi ſequutus cedro dignam Antiſthenis Socratici philoſophi & cynicæ ſectæ principis ſententiam, qui eos principes eſſe nobiliſſimos affirmavit, *quos omnigenarum virtutum theſaurus effeciſſet generoſos.* Cujus opinionem quam proxime accedit illud Platonicum: *Non qui generis præſtantia, nulla propria virtute innixi tumeſcunt, generoſi ſunt principes, quoniam præſtat ingenium excoluiſſe, in quo vera ſunt ſtemmata & genuina hominis excellentia,*

tum. Quique nec illud perſpicere quivit, non Poëtas modo, ſed & clariſſimas civitatum quandoque fabulis uſas: Et legum latores, qui imperitiorem multitudinem hac ratione ad bonum ſæpius elicuiſſe deprehenduntur. Quoniam fabula res eſt quæ præpotenter ad discendum animos rerum imperitos provocat, & velut heraclius quidam lapis ad ſtudium vehementer trahit. Unde à veteribus cautum erat lege, ut his tanquam fomentis primitus tenerior informaretur ætas. Valete bene ornatiſſ. viri. Datum Friburgi Anno Virginei partus ſeſquimilleſimo trigeſimo ſecundo.

CANDIDO LECTORIS.

Inſtitueram (candide Lector) ſaltem Deorum, quos iners gentilium coluit error, ex uberrimo veterum auctorum ſcrinio, utcumque fuerat liberum, depingere figuras, depictas ad uberiorem intellectum allegoriis illuſtrare, ne prorſus nihil præter fabulas ſehic lectitaſſe poſſet conqueri Minervæ rerumque novarum cupidus. Aſt quum inter legendum tam varios auctores, tot præclara Deorum nomina mihi ſcribenti obviaſ-

ſent, operæ pretium videbatur, antequam cujusque capitis auſpicarer exordium, etymon ejus Dei nominis præmittere cujus ibi futura eſſet mentio. Præſertim *cum præclarum nomen onerosam rem* dixiſſe Alexandrum Severum Lampridius teſtatur, cujus rei vel inde approbamus calculum, quòd ſemper quiddam latentis energiæ habeat, qua cum adoleſcentiam nonnunquam etiam jacentem, ad honeſtiſſima facinora promovere ſolet. Unde & Socrates apud Platonem recte (quod ſolet) præcepit, *ut pulcherrima nomina à parentibus imponerentur pueris, quo his ceu illicio vehementius ad recte facta concitarentur.* Id quod & Neſtor Homericus uſque laudare videtur, *cum nihil æque pulchrum eſſe* inquit *quàm nomini ſuo reſpondere.* Id quod etiam Herodianum grammaticum ſenſiſſe credimus, cum apud Græcos moris fuiſſe ſcribit, *ut non niſi aliquis eventus daret nominis occaſionem poſt octavum vel nonum ætatis annum.* Cujus rei vel hoc teſtimonio eſt, quod hi pueros ſuos *Theophilos* vocant, id eſt *amatores Dei: Polyphemos, qui ſunt amplisſimæ famæ: Arctoſthenes, robuſtos inſtar urſi: Leoſthenes, quibus leonina ſit fortitudo.* Quæ eventus nomina in noſtrum

ſtrum Chriſtianiſmum non temere veniſſe dubitaverim, cum eos *Gotholdos* noſtrates appellitant, *Albrechtos*, *Bernhardos*, *Leonhardos*: & cum alia quæ æquè ob magnas virtutes ſed planè germanica his impoſita videntur in uſu ſunt. Quemadmodum eſt in nomine *Huldenrich*, cui ſinguli favent, vel qui morum ſuavitate omnium favorem eblanditur. *Fridenrich*, qui pacis author ſeu conſervator eſt. *Burghart*, qui tam ſolidæ eſt fidei, ut in eum etiam munitiſſima arx ſit ædificanda. *Erhart*, qui fortiter occupat ea quæ ad honorem & rectam æſtimationem attinent. *Gebhart*, qui gravatim & ægre aliquid expendit, ſed rei familiari cum ſumma parſimonia proſpicit. *Conradt*, qui eſt ſtrenui conſilii &c. His igitur ſingulis exactius penſitatis, ſaltem primis labris deguſtavi rem. Fretus aliunde proditurum quempiam, qui hac temeritate mea factus animoſior, ejus rei pertractandę, cujus ego feneſtram (ut ajunt) aperuiſſem, vel ampliore eruditione & otio liberiore anſam aſſumeret. Vale candide Lector, & hanc noſtram impudentiam boni conſule: Libenter, ſi quid erratum ſit, tuam admittimus *ſpongiam*.

A Jano, in cujus tutela ſcribebatur omne principium (Muſis bene volentibus) certum eſt exordiri primum caput.

PRÆFATIO.

Siquidem Janus Saturni fugientis hoſpes, (unde Italia Latinm nomen habet) omne principium fertur ſub præſidio tenere, & januis per quas introitus patet, præeſſe: quemadmodum apparet in Januario inde nominato, qui (eſt enim primus menſis) annum exorditur, & ad reliquos menſes aperit introitum, Viſum eſt & ab hoc noſtram auſpicari rem. Qui (nam antiquitus invocabatur priusquam ad alios Deos conſtaret acceſſus, *teſte Macrobio) ad reliqua nos bono omine perducat numina, dextro admodum favore manifeſtans Patultius ſuum templum, ut ibi nec Momus, nec Ate (Diis inviſa numina) ſuis coloribus inexaminati compareant.*

DE

DE JANO.

CAPUT PRIMUM.

De nomine Jani.

JANUS igitur, quoniam alii voluerunt esse Solem, alii mundum, ab eundo dictus est, quod Sol oriens ad occidentem cubitum eundo, & mundus dum in orbem volvitur, ex capite draconis initium (sic enim pingebatur apud Phoenices) & in cauda devorata finem notans, crebros faciat meatus & perpetuo eat: Unde Cicero non Janum, sed Eanum vocari exstimat. In primo tamen Fastor. à Janua Janum dictum esse fatetur Ovidius. Qui hunc aliquando patrem, quasi Deorum Deum, Janum Junonium, quasi non solum mensis Januarii, sed mensium omnium ingressus tenentem (in ditione etenim Junonis omnes erant Calendæ) vocat. Præterea vocari Consivium à conserendo, id est propagine generis humani, quæ Jano authore conseritur, ut Macrobius scribit. Quirinum item, quasi bellorum potentem, ab hasta

quam Sabini Curim vocant: Patultium & Clausium, quòd bello valvæ ejus templi paterent, pace clauderentur &c. quas præterea nomenclaturas sortiatur à cunctis compendii gratia nunc intermittam.

De simulachro Jani.

Pingebatur Jani effigies à Numa rege primitus inventa, his lineamentis: In solio regis sedebat vir, corona & radiis illustratus; habens duo vel quatuor capita: cujus dextra insignis erat baculo, & Græca litera τ, sinistra vero ξ & ε, Clavis à cervice pendens aureum pectoris erat gestamen.

Figmenti explanatio.

Sed qui historicè ea volunt intelligi, coronam & regale solium, regnum quod Janus antiquissimus Italiæ rex in aureo seculo possedit interpretantur: quem tanti acuminis fuisse asserunt, ut res præteritas ad suam vitam rectè componendam disponeret, & futurarum felix haberet judicium, unde bifrontem sunt ementiti. Per posteriorem innuentes salubre esse Apophthegma hoc Salustianum: *In primis magni commodi est rerum gestarum memoria.* Quod utroque quidem pollice com-

comprobare videtur Tullius, quum scribit: *Nihil scire earum quæ antequam nascereris factæ sunt, est semper esse puerum*, quoniam ex aliorum factis præteritis, non est laboris nostram in melius instituere vitam. Unde haud immerito Demetrius quidam Ptolemæum regem subinde admonebat, ut libros ex antiquorum pœnis sumptos frequenter legeret, quoniam quæ amicis non esset satis tutum demonstrare principibus, ea omnia in libris affatim exarata per se ipsi reperirent. Per anteriorem vero, futurarum adeo necessarium esse judicium, ut sine hoc nemo haberi debeat sapiens, quod in hoc celebratissimo Homeri comprobatur adagio: *Factum novit & excors.* Hinc est quod Fabius apud Livium *eventum stultorum appellat magistrum.* Hac autem via Janus in Deorum venit orchestram. Jano regnante, inquit Macrobius omnium ædes religione & sanctitate fuerant opletæ: idcirco ei divini honores sunt decreti, & ob merita factus est Deus, cui introitus & exitus consecrati essent. At in primo Satur. 9. cap. longe aliter duas illas frontes interpretatur Macrob. *Sunt enim* inquit, *qui Janum Selem restantur, & ideo geminum quasi utrius-*

que

que januâ cœlistis potentem, qui exoriens aperiat diem, occidens claudat. Cornelius Bassus in lib. de Diis, bifrontem dicit quasi superni inferiorisque regni Janitorem, vel quasi diei dominum in quo ortus est & occasus. Sunt & qui bifrontem fuisse narrant, quia Grȩcus fuit, ut in monumentis proditum testatur Plutarchus. Cumque in Italiam trajecerit, linguam, simul & victum mutavit, vel quia cum Janus in Italia regnaret, & Saturnum à Jove expulsum excepisset hospitio, ab eo edoctus usum ait Plutarchus vinearum & falcis: ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum redegit in melius, factusque prudentior geminam faciem pertulisse fertur, ut quȩ ante quȩque post tergum essent intueretur. Ali dicunt quod postquam Romulus & Tatius in fœdera convenerint, Jano simulachrum duplicis frontis effectum, quasi ad duorum imaginem populorum. Unde is Deus prȩesse fœderibus faciendis dicitur. Eum nonnulli quadrifrontem esse dixerunt, propter annum in quatuor tempora divisum, vel quasi universa clymata majestate complexum. Hȩc Macrob. Baculus, quoniam portarum custos habebatur, conveniens
gesta-

gestamen fuit ad vim depellendam. Illa vero nota τ, trecentos signat: hæc ξ. quinquaginta: & ε quinque apud Græcos. Hinc Plinius lib. 34. cap. 7. scribit Janum digitis ita figuratis comparuisse, ut trecentorum quinquaginta quinque dierum nota, per significationem anni, temporis & ævi se Deum indicaret. Nec tamen nos moveat illa imago, neque Plinii verba, qui anno tribuit dies saltem 355. tot enim dierum annus aliquando fuit, ut scribit Solinus regnante Numa, à quo Janum sic formatum accepimus. Clavis huic tributa fertur, ut antiqui anni reclusorem monstrarent, unde Patultius nomen habet.

DE SATURNO.

CAPUT II.

De nomine Saturni.

Sed quia post principium, cui Janus præsidet, in seriem distributus est Planetarum ordo, à primo qui est Saturnus, libuit paulatim transire ad reliquos. Saturnus igitur, quem principem Deorum Carthaginensium credidit religio,

gio, à faturo quod hyeme faturet homines, dictus eft ut fcribit Ifidorus : vel quod faturetur annis, ut Cicero: vel quia fe in devorandis liberis faturat, quamvis Macrobius à fatu potius appellatum velit, quoniam peritiam ruris & fatorum omnium primus edocuit, rudemque ante fruges cognitas victum in melius commutavit ftercore, unde à Romanis aliquandiu Sterculius vocabatur : feu ut idem Macrobius à virili membro dictus eft Saturnus, quod veteres Græci σάθην vocant, quoniam Cœli patris pudenda abfcidiffe commemorant Saturnum, quibus in mare dejectis, Aphrodite, id eft Venus nata eft. Hinc Satyros quoque veluti Sathunos (quod fint in libidinem proni) appellatos opinantur.

De fimulachro Saturni.

Pingebatur autem depontani hominis inftar, canis capillis, barba in pectus vergente, tantum humoris concreti in oculis habens; ut vulgo cæcutientes, ftupidi, & hi qui fenectutis vitio errant, in oculis Saturnias lemas habere dicantur. Eft enim inquit Erafmus lema humor in oculis concretus, unde lippitudo venire folet. Propterea Dionyfidorus apud Pla-

tonem

ſonem Socratem Saturnum vocat, per quod bardum, ſenilem ac ſtupidum vult intelligi. Saturni quoque culus de carnibus vetulis, jamque mancis & ſenſu vacantibus dici cœptum eſt: Quicquid enim putre jam & effœtum oſtendere voluerunt, olim id Saturnium vocabant, propter turpitudinem & macilentiam illius Dei. Vide Eraſ. Chyliad. in proverbio, Podex Saturni. Pingebatur & curvus atque podagroſus, triſtis, colore pallido vel glauco, tecto capite, dextra manu falcem habens meſſoriam, & ſerpentis imaginem, qui in gyrum revolutus, caudam propriis commordebat dentibus. Per ſiniſtram filium parvulum ori applicans, devorare hunc & rurſus evomere videbatur. Compedibus item ligatus, juxta ſe habens Opis uxoris imaginem, in cujusdam matronæ ſimulitudinem depictam quæ aperta manu dextra opem omnibus adminiſtratura: panemque ſiniſtra pauperibus offerens videbatur. Erat & ante eum mare depictum, in quod Jupiter virilia amputata, à quibus orta eſt Venus, immittebat.

Explanatio formæ.

Effigies depontani hominis inſtar, canis

nis capillis, barba, & concretis oculis, hac ratione pingitur, quòd Saturnus habet molestissimam totius anni partem, videlicet hyemem, quoniam sacer est illi December, teste Macrob. in quo frigoris grassatur iniuria. Nam ut scribit Laërtius secundum Pythagoricam distinctionem ætatis humanæ, Veri pueritia accommodatur, Æstati adolescentia, Autumno juventa, Hyemi vero senectus: quæ ætatis pars ad omne vitæ munus hominem reddit inutilem, in otium reiicit, ab omni functione negotiorum relaxat, & demum singulas turpitudinis rugas inducit, prorsusque Saturnium facit.

Curvus atque podagrosus, namque motus est omnium planetarum tardissimi, ut qui anno trigesimo iter suum impleat, hæc Anglicus lib. 8.

Pingebatur & tristis, quòd à filio suo expulsus sit regno: sed est nihil aliud hoc quàm quòd tempora senescentia ab his quę post sunt nata, depelluntur, juxta hoc Publianum: *Discipulus prioris posterior est dies.*

Item colore vel pallido vel glauco: Hic namque planeta duplicis mortiferę qualitatis est, frigidę & siccę, quę horum colorum effectrices creduntur: unde

Pto-

Ptolemæus in lib. de Judiciis astrorum ait: Fœtus sub dominio Saturni aut conceptus aut natus; fuscum aut glaucum assequitur colorem, cito moritur, aut pessimas sortitur qualitates. Tecto capite, sumebant enim Saturno diebus sacratis pileum servi, quo uti alias duntaxat ruri & militiæ solebant. Nisi huc referendum censeamus, quòd Saturnus veritatis Deus à Romanis habitus est, quæ caput, hoc est quod præcipuum in se habet, desiderat simplicitatis pileo velari.

Dextra manu falcem habens messoriam & serpentis imaginem. Hac falce amputasse fertur patri Cœlo virilia: cujus rei causam scribit Servius, dicens: *Nisi humor de cœlo in terras descenderet nihil crearetur*. Sunt tamen qui falcem Saturno tributam putant, quòd tempus, ut inquit Macrobius omnia metat, exsecet, & incidat. Saturnus enim à Græcis χρόνος, quod tempus est, dicitur. Aliis quoque placet dari Saturno falcem veluti messis insigne, quod melioris vitæ autor fuerit: Unde hanc in Sicilia per Saturnum ex incuria amissam, tradit Macrobius, quæ oppido nomen quod Drepanum vocatur, intulit, quippe Græci δρέπανον,

 fal-

falcem nominant: sic Ovidius in Fast. *Quique locus curvæ nomina falcis habet*: At falcis amissio in Sicilia, ejus loci fertilitatem designat.

Serpentis vero typus in se revoluti, annum denotat. in se enim uti circulus redit annus. Unde Virgilius. *Atque in se sua per vestigia volvitur annus*. Quare ante inventas literas (ut Servius scribit) apud Ægyptios indicabatur annus picto dracone, caudam suam mordente.

Filium parvulum ori applicans, Ex eo quidem, ut Cœlius testatur, Saturnum tempus esse comparet, præsertim quum à Græcis χρόνος vocatur, à quo vicibus cuncta gignantur, absumanturque & ex eo denuo renascantur.

Pingebatur compedibus ligatus, Ideo quia certa naturæ lege inter se connexa sunt tempora: Vel quia in cursu suo testudineo semper stare videtur: seu quòd omnes fruges quibusdam vinculis, nodisque alternantur. Macrobius tamen scribit Saturnum laneo vinculo per annum alligari solitum, & mense Decembri in die sibi festo solvi, unde ortum esse proverbium: *Deos, laneos pedes habere*. Significari vero per hoc decimo mense semen in utero animatum, in vitam

tam augeri, quod donec in lucem veniat, mollibus naturæ vinculis detinetur.

Opis præsentia huc tendit, quòd Opem Saturni crediderunt coniugem, unde hoc mense Decembri Saturnalia, itemque Opalia veteres habuisse compertum est. Hinc non absurdum erat, cultu matrimoniali eam coram marito videri, præsertim cum Ops terram omnium matrem significet. Aliud tamen nihil aperta manus singulis Opem prætendens, quàm Saturnaliorum Opaliorumque ritum declarat, in quibus omnes præsens Opis auxilium sentiebant, videlicet ut servi cum dominis, & domini cum servis vescerentur, ut qui provinciam laboris in rure colendo simul tulissent, jam simul voluptatis edendi participes fierent: vel quòd Saturni beneficio de cœlo fructus ad maturationem irrigantur, & Opis liberalitate fruges fructusque ad vitæ cultum de manu aperta elargiuntur, etiam colonis.

Sed mare ante eum depictum, in quod Jupiter virilia amputata immittebat, quid aliud significaret, quam ante chaos nullum fuisse tempus? Siquidem tempus certa dimensio est, quæ ex cœli conversione colligitur. Tempus igitur cepit

cum natus est Saturnus, qui ob hoc χρόνος vocatur.

DE JOVE.

CAPUT III.

De nomine Jovis.

Jupiter planetarum, ut dixit Ennius, is est, quem Græci vocant aërem, quod Theocritus in Batto his verbis expressit:

Jam pluit & claro nunc Juppiter æthere fulget.

Unde Athenis fuisse simulachrum terræ, à Jove pluviam comprecantis, scribit Pausanias, quem Jovem pluvium inde dixerant, ut his versibus Tibullus, cum de Nilo loquitur, indicat:

Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.

Hunc autem veteres à juvando appellavere, quem nunc alio vocabulo juncto, patrem vocamus. *Nam quod est in elisis aut immutatis quibusdam literis, Jupiter, dicente Gellio lib. 5. id plenum atque*

atque integrum est Jovis pater. Sicut etiam dicere solemus Marspiter & Diespiter, id est diei lucis pater, qui est Jupiter, quem Macrobius 1. Saturnal. scribit Lucetium in Saliorum carminibus dictum, tanquam lucis authorem: quod inde clarius patet, quia hunc diem Jovis dixerunt fiduciam. Cujus lux cum Solis occasu non finitur illustrante Luna, quod semper in plenilunio, id est medio mense fieri solet. *Quum igitur Jovem à juvando dixerunt, eum contra Deum qui non juvandi potestatem, sed vim nocendi haberet.* (Nam Deos quosdam ut prodessent celebrabant, quosdam ut non obessent placabant) *Veiovem appellaverunt, dempta atque detracta juvandi facultate*, hæc Gell. lib. præfato.

De imagine Jovis.

Ejus imago sic pingebatur: Vir ad mulieris declinans molliciem in throno eburneo, fulminibus & sceptro regio sedebat innixus, sine auribus, At tribus oculis perlustrans singula, Gigantes impetu reluctantes calcans pedibus, cui per pedes separatim distortos aquila volatu ingens, pulcherrimum juvenem cratheram in manu habentem rostro ferebat adunco.

Imaginis Allegoria.

Viri muliebris mollicies in hac pictura, huc vergit, quòd Orpheus Androginum vocavit Jovem, Hoc considerans, Jovem non solum esse aëris animam, sed Junonem æqualiter. Quemadmodum Cererem non solam terræ animam, sed etiam Plutonem cum Proserpina coëuntem. Nisi ad fabulam Liberi patris qui Semele mòrtua in fœmore Jovis aliquot menses est enutritus, ea referamus.

Sceptrum & fulmina, quoniam Deorum atque hominum dicebatur rex, convenienter illi fuerant assignata: sunt enim regii status insignia. Quàm latè autem ejus patuerit regni imperium, dicit Apulejus in lib. de mundo ex Orphei carminibus se hæc lectitasse:

Juppiter omnipotens est primus & ultimus idem,
Juppiter est caput & medium, Jovis omnia munus,
Juppiter est fundamen humi ac stellantis Olympi,
Juppiter & mas est & fœmina nescia mortis,
Spiritus est cunctis validi vis Juppiter ignis,

Et

Et pelagi radix, Sol, Luna, est Juppiter ipse,
Omnipotens rex est, rei omnis Juppiter ortus.

Plinius autem lib. 2. hac causa Jovi vult assignari fulmina: *Quoniam* inquit *ut è flagrante ligno, carbo cum crepitu, sic à sydere cœlestis ignis expuitur, qui cadit in terram fulminis instar ardentis, & maxime turbato aëre, hoc est Jove, propter collecti humoris abundantiam.* In Creta Jovis simulachrum confingi certum est sine auribus: quoniam principem virum, & omnibus late dominantem audire addecet neminem, sed id demum persequi quod dictat rationis examen, & justitiæ nusquam præflorata integritas, hæc Cælius lib. 6.

Trium oculorum ratio, providentiam continet triplicem: Nam cœlo imperare creditur, & Homerus apud inferos & in mari dominium illi esse testatur, quibus omnibus regendis, oculis multis est opus.

Convenienter etiam allegoria trium oculorum in hoc deduci videtur, quòd regibus complures ubique sint exploratores, qui ob id oculi regum dicuntur:

complures item auscultatores, quibus velut auribus utuntur: vide Erasmum in proverb. Multæ regum aures.

At gygantes calcans reluctantes Jupiter inauspicato cedere quæcumque citra consilium adversus Deos, adversus pietatem, adversus jus & æquum instituuntur exprimit. Gigantes enim à Jove in gygantomachia domitos, quid aliud fuisse credendum est, quàm hominum quandam impiam gentem, Deos negantem, & ideo existimatam Deos pellere de cœlesti sede voluisse, ait Macrob. 1. Satur. Hæc fabula est nota: habetur tamen ejus series lib. 1. Transformat. Ovidii.

Aquilá autem Jovi adscribitur, vel quia domina est avium, ut Jupiter Deorum, vel quòd Jupiter Saturnum superaverit ejus avis auspicio, ut Servius scribit. Itaque Clearchus tyrannus quum ex successu continuæ felicitatis se Jovis filium diceret, præferri sibi auream aquilam voluit, velut generis argumentum. Negant præterea aquilam unquam fulmine exanimatam, ideoque armigeram Jovis consuetudo judicavit, teste Plinio lib. 10. cap. 3. De Ganimede Trois filio perhibent auctores, quòd Jovem

vem admiranda ſua pulchritudine in ſui amorem pellexerit, à quo in aquilam mutato, ſit raptus de Ida, ac ſuæ menſæ miniſter adhibitus. Sed hoc quidem idcirco fingitur, quòd Jupiter aut per legionem Ganimedem rapuit, cujus inſigne erat aquila. Aut navis cui fuerat impoſitus pictam habuit aquilam, ut Lactantius exponit. De raptu Ganimedis Ovidius lib. 10. Transfor.

DE MARTE.

CAPUT IV.

De nomine Martis.

Mars inde nomen habet, quòd in bello maribus præſit: ſive quòd à Sabinis acceptus eſt, apud quos Mamers vocatur: à Poëtis Mavors, quòd magna vertat dicitur, ut Cicero lib. 2. de natura Deorum. Vel quod viros vorat juxta Albricum. Gradivum quidam dictum exiſtimant, quòd in bello ultro citroque gradiatur, ſive à gramine, quod herbam ſignificat, quia ſit à gramine ortus. Unde & graminea corona in re militari maximæ dignitatis erat, ſcribit Plinius lib. 22. cap. 3. &4.

3. & 4. Gell. lib. 5. quoniam ortum traxisse Martem à Junone fabulatur Ovidius sine patre. Nam quum Juno animadvertisset Jovem maritum percusso capite sine muliere emisisse Minervam armatam, versus Oceanum profecta est, ut scrutaretur quo pacto & ipsa parere posset sine viro. Sed quum in itinere fatigata ante ostium Deæ Floræ uxoris Zephyri consedisset, interrogata ab ea dicitur, quam ob causam ad Oceanum pergeret, qua cognita, facturam se voti compotem Deam pollicita est, si id Juno Jovem celaret. Quod cum se facturam Juno jurejurando affirmasset, mox illam Flora monuit, in campis Oleniis florem esse, quo tacto repente sine viro conciperet: id experta Juno Martem concepit, deinde peperit. Quapropter Flora apud Ovidium sic loquitur:

Mars quoque si nescis, per nostras editus artes,
Juppiter hoc, & adhuc nesciat usque precor.

De simulachro Martis.

Martis simulachrum tale erat, in curru à fronte gallum continente, quem e-

qui

qui furibundi trahebant, homo sedebat furibundus, armatus, lorica, galea, & cæteris armis defensivis, in manu habens flagellum, & ante se lupum ovem in rictu portantem: sub curru autem Romuli & Remi suorum filiórum conflictum.

Expositio.

Furibundi hominis imago & fortis panoplia Martis, huc pertinere videtur; quòd Diodor. lib. 6. Martem fabricatis armis primum armasse milites, pugnandique ac certandi morem induxisse, atque eos qui Diis adversi essent interfecisse scribit. Eundem etiam Homer. refert inter omnes cœlestes Jovi esse maxime invisum, quem nihil juvat nisi rixæ, nisi pugnæ, nisi bella, vere redd entem ingenium Junonis ferox, elatum, contumax, & malignum.

Sed gallus fortassis currui erat adjunctus idcirco, quia gallus omnium pugnacissimus bellacissimusque, Marti ferebatur sacer, utpote & crista & calcaribus ad pugnam expeditus. Vel quòd is olim fuerit adolescens quem Mars in deliciis habuit, de quo satis scite fabulatur Lucian. in Gallo. Aut quia gallus pristinæ naturæ habens vestigia, pervigil est, & ipsius auroræ sedulus anteambulo; à

quo

quo gallicinium, tempus antelucanum appellatur: Sole enim cubitum eunte, atque aurora veniente ſtudet vigiliis, ut Plinius ſcribit lib. 10. cap. 21. quæ in bello maxime conducunt circa principes. *Quoniam nullius rei eſt* (ſicut proverbio dicitur) *vir dormiens.* Quod pulcherrime ſcribit in hoc carmine Homer. 2. Iliados.

Belligera Atrida dormisne Agamemnon?
Perpetuam noctem dormire haud principe dignum eſt.
Cui populi commisſi, & tanta negotia curæ.

Ejus rei uberiorem facit mentionem divinus ille Eraſmus in proverb. *Non decet principem ſolidam dormire noctem.*

Lupus ovem in rictu portans, hoc ſignificat quod proverbium, *Mars rex*, cujus interpretatio (ut Eraſmus) in principem congruere videtur, qui vi, non legibus Rempublicam tractat. Ferrum enim à Græcis aliquando Mars dicitur: unde ſenſus proverbii eſt, *Ferrum rex*, quoties res vi geritur: qualiter enim ad leges confugiat lupus in rapienda ove, ubertim in apologis habetur Æſopicis. Fuit tamen ſpecialiter Marti hoc animal

à veteribus consecratum, quia cruoris appetens.

DE APOLLINE.

CAPUT. V.

De nomine Apollinis.

Apollo Jovis & Latonæ filius, eodem partu cum Diana genitus, quartum planetarum in cœlo possidens orbem, ab à privativa particula & πολλοὶ, quod significat multi, hoc est quod solus sit & non multi, teste Chrysippo dicitur. Pythagoras universalem hunc vocavit, & quasi simplicem ac unum, velut ab aliis sequestratum, & multitudinis nescium ait Cœlius lib. 1. cap. 3. Unde Latini hunc Solem, id est unum vocavere, quod tantam claritudinem solus obtineat. Dictus item Phœbus est, quòd vi feratur, vel à specie & nitore: pulchrum enim & imberbem fingebant, propter quòd prima barba & capillus sacrari ab iis qui adolescentiæ annos excederent, Apollini solebat.

Effigies Apollinis.

Effigiem Apollinis ferè his coloribus de-

depinxit Albricus: Nunc pueri elegantis instar, corona duodecim pretiosorum lapidum & alis insigniti: nunc juvenis ex ephœbis excedenttis: nunc viri ad sordidam caniciem declinantis, in vertice tripodem aureum, in dextra Gratias tres, in sinistra arcum cum sagittis, ab humeris vero cytharam dependentem gestabat; pedibus calcans horribile monstrum tribus capitibus insigne, lupi, leonis, & canis; unico ventre, in unam quoque caudam serpentinam videlicet desinente. Huic præterea ab uno latere stabat laurus viridis, novem Musarum umbraculum, quibus choream ducentibus Apollo choragus mensuratæ saltationis edebat modos. Ab altero vero, corvus desuper volitans, & Python transfossus pingebatur. In curru quidam Phœbum dicunt vehi quatuor equis trahendum, sed Macrobius aliam prorsus effinxit effigiem, quæ sequitur.

Alia Apollinis effigies ex Macrobii lib. 1. Saturnal. cap. 17.

Hieropolitani qui sunt gentes Assyriorum, omnes Solis effectus atque virtutes ad unius simulachri barbati speciem redigunt, hocque Apollinis fuisse crediderunt.

runt. Hujus facies prolixa erat in acutum, barba figurata, eminente super caput calatho, simulachrum thorace erat munitum, dextra erectam gerebat hastam, super stante Victoriæ parvulo signo. Sinistra floris habebat speciem, summisque ab humeris gorgoneum velamentum, redimitum anguibus tegebat scapulas, Aquilæ volantis pictura effigiem sequebatur. Ante vero pedes imago fœminea cum dracone flexuoso sedebat: hæc Macrobius.

Primæ imaginis explanatio.

Quia sol recedens ab uno puncto circuli sui, & revertens in eundem, transit per duodecim signa Zodiaci, idcirco Apollo, qui Sol est, corona duodecim lapidibus redimitus fingitur, teste Isidoro.

Aristoteles inquit, Apollo inter omnes planetas maxime disponit atque ordinat ad animationem & vivificationem animalia, unde triplex illius Dei forma ad hoc spingis ænigmaticum convenire creditur. Mane, id est prima ætate quadrupes: meridie, quod est in adolescentia, bipes: vesperi, hoc est ultima ætate tripes. Per hoc, trium ætatum Apollinem esse peractorem significatur. Quòd

etiam Anglicus his verbis declara: Nihil poteſt in vivis manere ſine virtutis ſolaris operatione.

Apollo virtutem inferiorum habet informativam dicit Beda: unde ſecundum elongationem ejus & propinquationem, facies hominum, & animalium corpora ait Iſidorus diſponi. Quapropter ejus ſimulachrum erat absque barba, ſed alis depictum: Nam ut Ptolemæus dicit, Solis conſtellatio facit hominem corpulentum, facie pulchra, ſtrenuum, & agilem. Aut ideo imberbis pingebatur ſub patris nomine: quia occidendo & renaſcendo ſenectutis pellem non admittere creditus eſt. Sive quòd nunquam in ſua virtute deficit, ut Luna quæ creſcit & minuitur.

Tripodem in vertice tuliſſe, veritatis oraculorum ſymbolum erat. Tripodem enim fuiſſe lebetem tribus fultum pedibus, teſtantur authores. Hujus duo erant genera: Alterum Apollinis, ad oracula diſpoſitum, quæ cæteris veriora credebantur: Alterum Bacchi, in quo vinum miſcebatur, quòd ebrii vera loquantur: quemadmodum proverbio circumfertur, *in vino veritas*. Vide Eraſmum. *Ex tripode locutus*.

Ex-

Exanimat & interimit animantes Apollo, cum iis pestilentiam per intemperiem caloris immittit. Hinc est quòd arcu & sagittis hujus Dei simulachrum decoratur. Sed quoniam idem author est, & publicæ sospitatis, quam solis temperies animantibus existimatur præstare, estque ea ferè perpetua: nam pestilentiæ casus rarior accidit; ideo Apollinis simulachrum dextra manu gratias gestabat, arcum cum sagittis sinistra, quæ ac si ad nocendum pigrior esset, Dextra vero ad salutem porrigendam promptior. Propterea huic quoque Deo medendi tribuerunt potestatem, sic scribit Macrobius 1. Satur. De gratiis dicetur suo loco, cap. 36.

Per Apollinis lyram ab humeris dependentem, & septem chordarum, tot cœlestium sphærarum motus intelliguntur, quibus Solem natura moderatorem constituit, inquit Macrobius.

Monstrum tribus capitibus insigne, huc tendit, quod cognominaverunt Apollinem pecoris antistitem, non ex officio pastorali, ut est in fabula per quam fingitur Admeti Regis pecora pavisse, sed quia Sol pascit omnia, quæ terra progenerat, qui propterea non unius generis,

ſed omnium pecorum paſtor canitur ab Homero, quibus invitis paſtoribus & cane paſtorali, lupus inimicatur & leo. Cleanthes quidam Apollinem Lycium nuncupatum teſtatur, quòd veluti lupi pecora rapiunt, & oculorum acie noctis tenebras evincunt, ita ipſe quoque humorem eripiat radiis, noctem illuminando die, Macrobius 1. Saturnal.

Scribit & idem Macrobius cap. 20. Apollini ſignùm tricipitis animantis adjungi, ſcilicet leonis, canis, & lupi. Et leonis capite mónſtratur, inquit, præſens tempus, quia conditio ejus inter præteritum futurumque actu præſenti valida fervensque eſt. Sed præteritum tempus lupi capite ſignatur, quod memoria rerum tranſactarum rapitur & aufertur. Item canis blandientis effigies futuri temporis deſignat eventum, de quo nobis ſpes; licet incerta, blanditur, lege Macrobium qui docte illam rem tractat capite ſupra citato. Niſi illam rem in hoc flectere ſtatuerimus: caput nempe leonis eſſe domum & exaltationem Solis. Caninum vero, ſtellam canis ferventiſſimam, quæ oritur 29. gradu, in quæ duo capita tertium penetret, quod eſt lupinum, cujus mentionem facit Cicero lib. 1. de

natura

natura Deorum: quorum omnium unicus venter, id eſt conſimilis fervor eſt ſuffultura. Adjiciamus & hoc, quòd Lycopolitana urbs Thebaidos, pari religione Apollinem, teſte Macrobio, itemque lupum, in utroque tamen Solem venerans, colit.

Cauda ſerpentina, & ſic intelligi poteſt, quòd ſit cauda draconis, quæ more ſolari gradatim demigrat in omnia ſigna circuli animalis: hæc Anglicus lib. 8.

Laurus novem Muſarum umbraculum, eſt in Apollinis tutela, & arbor potiſſimum huic Deo ſacrata, ut Ovidius 1. Transfor. Aut quia apud veteres maximo in honore fuit, dicata videlicet triumphis, & ante limina, ac in domibus Cæſarum, Pontificumque, & magnorum virorum ſeri ſolita: aut quia ſpectatiſſima eſt in monte Parnaſſo, qui Apollini dicatus erat. Vel quia hæc ſola arbor ex omnibus manu ſatis & in domos receptis, non icitur fulmine: unde Tiberium principem tonante cœlo coronari ea ſolitum ferunt contra fulminum motus: vide Plinium lib. 15 cap. 30. Hinc Lippius:

Miſſa triumphalem non tangunt fulmina laurum,
Cingant belligeri tempora læta Duces.

Laurum præterea Apollini sacram scribit Cœlius lib. 3. quòd habeat rerum futurarum præsensionem quandam. Siquidem nil crepitantius uritur, unde si crepuisset abunde, ac sonantius, haud dubie portendi felicitatem rebantur: quod significat hoc versiculo Elegiographus Tibullus:

Laurus ubi bona signa dedit gaudete coloni.

Ediverso autem si tacita conflagrasset, inauspicatissimum arbitrabantur, quod approbat Propertius:

Et tacet extincto laurus adusta foco.

Plerique tamen inquit Cœlius, opinaantur lauri folia si noctu pulvillo subjiciantur, veritatem somniorum conciliare.

Consueverunt præterea lauro coronari Poëtæ, qui ut Apollo,, in cujus præsidio tuentur, vates quoque à vaticinando dicuntur. Sed cur hac coronentur, Primum est, quòd Apollinis fuerunt filii: secundum, quòd semper eorum viret memoria instar lauri semper virentis: hoc eleganter exprimit Octavius Cleophilus his versibus, quando alloquitur Musam:

Tunc

Tunc ego dic inquam, vates cur tempora lauro,
Atque hedera duplici fronde revincta gerunt?
Numen idem (sic respondit) quia Phœbus & audax
Bacchus, & Aonio cultus uterque jugo,
Hic virides hederas, lauros habet ille virentes,
Pulchra per amborum tempora serpit honos.
Sic vatum cunctos stat, gloria celsa per annos,
Usque virens nullos arida facta dies.

Novem Musarum quare choragus Apollo dicatur, require in capite de Musis 52.

Corvus propterea Apollini videtur adesse; quia in hanc avem se mutavit ille Deus, ut Ovidius scribit in 5. Transfor. Sive quòd corvus veneno infectus sibi lauro succurrit, dicente Plinio lib. 8. cap. 27. Vel quòd illa avis futuræ tempestatis est vates: dicit enim Plinius libro 19. cap. 35. *Corvi singultu quodam latrantes, seque concutientes, si continuabunt, ventos: si vero carptim vocem resorbebunt, ventosum imbrem præ-*

prænuntiant. Aut ad fabulam convenire videtur, quæ est in 2. Ovidiano Transforma. quum corvus candidus ob indicium quod Apollini dederat de Coronide, est conversus in nigrum. Reperiuntur plura de corvo apud Plinium lib. 10. cap 12.

Pythonis transfossi ab Apolline fabula non abhorret ab intellectu naturalis arcani, ait Macrobius qui rem illam multis tractat lib. 1. Satur. cap. 17. circa finem.

Imaginis, quæ est ex Macrobio explanatio.

Radios in terram superne jaci barba demissa signat. Calathus aureus surgens in altum, monstrat ætheris summum: unde Solis creditur esse substantia: hastæ atque loricæ argumento, imago adjungitur Martis, quem eundem ac Solem esse constat, ut sit manifestum cuncta submitti hujus syderis potestati: unde victoriæ quoque signum præsto est. Floris species, florem rerum protestatur, quas hic Deus inseminat, progenerat, nutrit, fovet, maturatque. Species fœminea terræ imago est, quam Sol desuper illustrat. Gorgonea vestis, quod Minerva

 quam

quam hujus præſidem accipimus, Solis virtus ſit: ſicut & Porphyrius teſtatur, Minervam eſſe virtutem Solis, quæ humanis mentibus prudentiam ſubminiſtrat: Nam ideo hæc Dea Jovis capite prognata memoratur, id eſt, de ſumma ætheris parte edita, unde origo Solis eſt. Aquila propter altiſſimam velocitatem volatus, altitudinem Solis deſignat. Draconis autem effigies, flexuoſum iter ſyderis: hæc Macrobius lib. primo Saturnaliorum, cap. decimoſeptimo.

DE VENERE.

CAPUT VI.

De nomine Veneris.

Quòd ad omnes res veniat dicta eſt Venus: & non à venuſtate ut quidam volunt: quoniam ex ea potius venuſtas quàm Venus à venuſtate venit, ſic Cicero lib. 2. de nat. Deorum. Multis tamen aliis nominibus gaudebat hæc Dea vocari, Libitina videlicet, quoniam Venerem non ſolum præſidem natalium, ſed etiam mortis Deam, ut maximam Parcarum natu ſunt venerati an-

tiquitus. Siquidem in æde Libitinæ omnia quæ ad ſepulturam pertinebant vendere conſueverant veteres, Libitinam non aliud eſſe quàm Venerem exiſtimantes. Hoc argumento, humanæ fragilitatis unam eandemque Deam principium ac finem inferre credentes. Item in Samo Venus nuncupabatur Dexicreontis, quoniam Nauclerus quidam Dexicreon, cum negociandi cauſa navigaret ad Cyprum, ei vero jamjam onus in navem impoſituro, Venerem juſſiſſe ferunt, aquam tantum in navem imponeret, ſtatimque ſolveret. Illum vero dicto audientem fuiſſe, & comportata in navim aqua, profectum ſumma tranquillitate, ſitientibus reliquis & mercatoribus & nautis aquam ſingulis venundatam multum inde argenti collegiſſe, exque eo ſtatua Deæ poſita, illam à ſuo nomine appellaſſe, hæc Cœlius lib. 16. Et dicebatur aliquando Philomedea, quòd ex Cœli pudendis, quæ μήδεα vocant, nata eſſet, teſte Cœlio libro 16. cap. 18. Unde etiam Aphrodite nuncupatur.

De Veneris ſimulachro.

In veterum monumentis ſtatuam Veneris ſic formatam legimus: ſuperior corporis

poris pars cingulo tenus maris barbati præferebat effigiem, mulieris autem inferior, habens in dextra concham cum pectine, in sinistra caliptram ac pedicas, coronata rubeis rosis, & stipata ab uno latere tribus juvenculis nudis, quarum duæ versus spectatores conversæ, una in contrarium: ab altero Vulcano, passeribus, columbis & cygnis mixtim volantibus, Cupidine cæco, & alato, qui partim arcu sequi videbatur Apollinem, partim in fugam conversus, inclinabat se ad Martis sinum, dextro pede suffulta coclea, sinistro autem hirco.

Quomodo symbolice intelligendum hoc simulachrum.

Ideo superiora corporis cingulo tenus maris præferebant effigiem, fœminæ inferiora, quia Venerem omnis generationis ut authorem & præsidem venerati sunt veteres, teste Cœlio lib. 16.

Concha marina Mythologice Veneri adscripta, ad generationem suam refertur, quia ex maris spuma nata fertur: unde Aphrodite Veneris nomen; & Aphrodisia, opera lascivia & amatoria dicuntur: Aprodisium quoque jusjurandum, pro vano & momenti nullius, & irrito

irrito, quodque nihil ad Deos pertinet: ut Ovidius.

Juppiter ex alto perjuria ridet amantum.

Sed maris spuma, inquit Aristoteles ad spermatis naturam, quæ est spumosa, vergit, unde Venus enata recte dicetur.

Veneris statua pectine formata id habet, quòd Romanis aliquando mulieribus pestilens obrepserit pruritus, & talis, ut excidentibus pilis omnibus nullus amplius fuerit usus pectinum. Cum autem ille defectus admodum deformis, & mulieribus aliâs molliculis ingratus esset, Veneri nuncupatis votis rursus succrevisse pilos ferunt: quo nomine simulachrum illi cum pectine statuerunt: Cœlius.

Caliptra, mulieris castæ constantiam adversus procos & cohabitantes designat. Sed pedicas habere dicitur Venus, quòd velut quoddam vinculum mulieris saltem aspectus, viros capiat. Hinc apud Erasmum elegans est proverbium, *Mulieris oculus*, quod significat oculos esse retia & omnium cupiditatum quasi authores. Unde Democritum sibimet oculos ademisse ajunt, tanquam vanitatis illices.

Cur Venus coronata sit rubeis rosis,

 scri-

scribit Jovianus Pontanus hoc carmine ex primo Eridani:

Pectebat Cytharea comas, madidumque capillum
Siccabat, Charites carmina lecta canunt.
Ad cantum Satyri properant, ad carmina Nymphæ,
Carmina de tacitis sæpibus hausta bibunt.
Hinc aliquis petulans ausus prodire, Dionem
Intuitur, docta dum linit ora manu,
Erubuit pudibunda, ruborque per ora cucurrit.
Occupat & teneras purpura grata genas.
Mox interque rosas, interque roseta refugit,
Delitet, & molles spirat ab ore crocos:
Dum spirat, funditque crocos, dum purpura fulget,
Concipit afflatus, Dædala terra Deæ.
Hinc & purpureum flores traxêre colorem,
Quæque prius candor purpura facta rosa est.
Has legite, his teneræ crines ornate puellæ,

Testan-

Pæstano niteat lucida rore coma,
Vere rosas, æstate rosas diffundite Divæ.
Spirent templa rosas, ipse & olete rosas.

Quid præterea tres juvenculæ sibi velint, dicetur in capite de Gratiis. 34.
Eam autem circumvolitant passeres, quia Venerem à passeribus subvehi Scribunt Authores, nam avis est libidinis efferatæ. Quapropter ex Græcis se notasse Cœlius inquit, passeribus vescentes 'Epicathaphoros, id est procliviores in Venerem fieri.

Adsunt præterea columbæ candidæ & cygni, Deæ candidæ ac venustissimæ holocaustum, quòd semper similia similibus gaudeant: sive propter albedinem, quæ lauticiam muliebrem aut dulcissimum cantum demonstrat, dicente Mancinello: siquidem amantium animos cantu trahi compertum est. Sed autore Servio, propter frequentem & coitum Veneri consecrata est columba. Verum Lactantius Grammaticus tradit hac de causa Veneri adscriptam illam avem, cum Venus & Cupido lasciva contentione certarent, uter plures sibi flores colligeret, & Cupido alis adjutus Venerem superaret, Peristera Nympha accurrit, & adjuvando

vando Venerem superiorem effecit: unde indignatus Cupido mutavit eam in avem, quam Græci *peristeram* appellant, Latini *columbam*. Venus autem ut honore pœnam minueret, hanc in tutelam suam accepit.

Veneris currum à Vulcano (qui jure matrimoniali astat) factum, graphice describit Apulejus de asino aureo lib. 6. Apollinem arcu petens Cupido, in matris suæ gratiam, videbatur armis instructus: quòd hic Deus id est Sol, adulterium cum Marte primus vidisset, quemadmodum Ovid. 1. transfor. indicat:

Primus adulterium Veneris cum Marte putatur
Hic vidisse Deus, videt hic Deus omnia primus.

Et sic Plinius lib. 2. Solem commendans ait: *Hic suum lumen cæteris quoque syderibus fœnerat, præclarus, eximius, omnia intuens primus, omnia etiam exaudiens.* Non tamen absurde admodum fabulati sunt, qui Venerem cum Marte concubuisse dixerunt, siquidem vel masculinum vel fœmininum affectant congressum qui belláces sunt, ait Macrob. Sed & hoc addunt Platonici, concupiscendi

ſcendi & iraſcendi vires eſſe quaſi germanas: nam proclives ad libidinem, ſunt etiam ad iram propenſiores; atque viciſſim ad libidinem, iracundi: Hæc Cœlius. Quare Cupido cæcus & alatus, quære in capite Cupido 10.

Teſtudo ſub pede eſt ſilentii ſymbolon, commonſtrans muliebris eſſe ornatus taciturnitatem: *uxorum quippe decus eſt, aut cum marito* (inquit Eraſmus) *aut per maritum loqui.* Inde Ægyptiis mulieribus uti calceis, non fuit patrii moris, ut ita domi ſe continere quodammodo cogerentur: vide Ludovicum Cœl. lib. 6.

Hirci autem quæ ſit ratio nuſquam reperi, facio tamen conjecturam ad mulieris libidinem pedibus ſupprimendam, id eſſe excogitatum: eſt enim nota hircorum libido, vide Eraſmum in proverbiis. *Anus hirciſans.*

DE MERCURIO.

CAPUT VII.

De nomine Mercurii.

Mercurius in ordine ſextus planetarum eſt, unde ab antiquis, teſte

Albrico, ſextus Deus vocabatur. Is à merce, ut quidam volunt, nomen habet, quoniam mercatorum fingebatur Deus, quamvis alii quaſi medium currentem, quòd ſermo currat inter homines medius. Unde à Græcis Hermes, quod eſt interpres vocabatur, Deorum ſiquidem fuerat interpres.

De ſimulachro Mercurii.

Mercurii ſimulachrum erat homo triceps, pedibus alatis, portans ſopiferæ virtutis baculum, accinctus gladio hamato, & fiſtula de calamo facta, tectus item pileo albi & nigri coloris. Aſtabat illi præterea gallus gallinaceus, & argus decollatus à dextro latere, à ſiniſtro autem viri portantis tabulam & loculum levo lacerto effigies, cui alter quidam adjunctus, peram abſcindebat.

Expoſitio.

Triceps fingebatur Mercurius, vel quòd plurimam vim habeat oratio cui præſidet: vel quòd idem Deus index viæ habebatur antiquitus. Proinde in ſingulis capitibus inſcriptionem habebat quo duceret hæc via, quorſum illa, teſtis Eraſmus.

Alatus

Alatus eſt Mercurius, vel quia cito recurrit in ortum ſuum, vel quia volucer ſermo per aërem fertur, juxta illud Horatianum:

Et ſemel emiſſum volat irrevocabile verbum.

Aut ob Solis velocitatem ſecundum Macrobium, qui Mercurium & Apollinem unum eſſe Deum ſcribit: niſi ad negociatorum agilitatem, quibus colebatur Idibus Majis velimus referri, de qua Flaccus in 1. Epiſtolarum:

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Fuit præterea Deorum nuntius, cujus officium erat ſubinde talaria induere, hoc eſt celeriter ſurſum deorſumque quaſi volans currere.

Huic virgam tribuerunt ſopiferam, hoc eſt caduceum, cujus ſic Homerus ultimo Iliados meminit:

Mox ubi jam pedibus talaria ſubdidit aurea,
Tum virgam capit, hac demulcet lumina ſomno
Quorum cunque velit, ſomnum quoque pellit eadem.

Hunc

Hunc imitatus Maro, sic ejusdem caduceum describens quarto Æneidos:

Tum virgam capit; hac animos ille evocat orco
Pallentes, alias sub tristia tartara mittit,
Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat.

Fuit autem hæc virga belli finiti symbolum: nam quia Mercurius orationis Deus, & Deorum nuntius merito à Diis mittebatur, ut diffidentium animos fœderaret. Hinc legati pacis Caduceatores dicti: sicut enim per fœciales bella indicebantur, ita per caduceatores finiebantur.

Caduceum Ægyptii in speciem draconum maris & fœminæ conjunctorum figuraverunt, & Mercurio consecrarunt. Hi dracones parte media voluminis sui, nodo (quem vocant Herculis) invicem obligantur, primæque partes eorum reflexæ in circulum præssis osculis ambitum circuli jungunt, & post nodum caudæ revocantur ad capulum caducei, sic Macrobius lib. 1. Satur. cap. 19.

Causam autem cur exteræ gentes caduceum in pace tractanda circundata anguium effigie fecerint, quidam hanc esse

tradunt, cum Mercurius lyram in Cyllene monte Arcadiæ septichordam ad Atlantidum numerum instituisset, quòd Maja mater ejus ex illarum numero esset; Ac non multo post deprehensus ab Apolline fuisset boves suas abigere, quo facilius veniam ab eo impetraret, Apollini traditur concessisse, ut lyram à se primo inventam prædicaret: propter quod Apollinem ferunt virgam quandam Mercurio dono dedisse, quam cum manu tenens in Arcadiam proficisceretur, inventos ab eo fuisse dracones duos simul ligatos, & inter se mutuo pugnantes: quo viso virgam interposuisse, & dicto citius prælium diremisse. Eo facto hujusmodi virgam pacis gratia dixit esse constitutam: & hujus rei exemplo virgam postea duorum draconum simulitudine finxerunt, eamque & in palæstra & in reliquis certaminibus usi sunt ad prælium dirimendum. Plinius alia recenset lib. 29. cap. 3. Aliter tamen de Corycio, hoc est caduceo scribit Cœlius quum dicit: *Corycium erat lignum rectum, utrinque duos continens serpentes implixos invicem, ita ut se mutuo & ex adversum intuerentur. Lignum autem rectum symbolice & operte orationis re-*

ctitu-

ctitudinem significat: serpentes vero impliciti, castra castris juncta nobis innuunt occultius. Quibus se dissidentes conciliatura voluntates, orationis inserit virtus, hæc Cœlius lib. 11. cap. 50. Et ibi quoque hastam & caduceum mittere, pro hoc quod est aut bellum aut pacem amplexari positum, reperies: cujus etiam meminit A. Gellius lib. 11. cap. 27. Caducei tamen argumentum ad genituram hominum (quæ genesis appellatur à Macrobio) referri non planè videtur absurdum, quoniam homini nascenti quatuor adesse memorant Ægyptii, Solem videlicet, qui autor spiritus, caloris ac luminis, unde humanæ vitæ genitor & custos dictus: Lunam quæ corporum est præsul, quæ fortuitorum varietate jactantur: Osculum, quod amoris est index: Et necessitatem quæ in nodo apparet, hæc Macrobius. De Caduceo lege Erasmi proverbia: *Cassioticus nodus, & Virgula divina.*

Gladio hamato, quem Harpen vocant: unde Mercurius Harpedophorus dicitur, fuit in necem Argi accinctus. Quid fabula Argi, quære in cap. Argus. 52. Fistula, teste Albrico, orationis dulcedinem notat.

Capitis tegumentum album & nigrum, recti & pravi signat discrimen, in cujus ipsi quibus præsidet, negociatores sunt uberioris intellectus quàm cæteri homines, qui etiam (cum libitum est) album in nigrum, & nigrum in album vertunt. Vel ut Plautinus amator ait, *pactum non pactum, non pactum pactum esse faciunt*. Vide Erasmum in adagio; *quid album, quid nigrum novit*. Nisi hos duos colores duplici potestati attribuendos censeamus, cœlesti videlicet & infernali, quoniam Mercurium Ægyptii Solem crediderunt, cujus dominium cœlum & terras moderatur, quod Macrobius notat in primo Saturnaliorum.

Gallus gallinaceus Mercurii est assessor, quod etiam Lucianus in Gallo testatur: est enim temporis ales. Et Mercurius, ut Strabo geograph. 17. scribit, à sacerdotibus Thebanorum temporis ordinem calluisse dictus est.

Vir loculo tabulaque insignis, mercatores qui huic Deo sacrati dicebantur, repræsentat, quorum officium est id agere, quod scribit Horatius 1. Epistolarum Epist. 1. Alter autem, fures, qui peculiariter Mercurium tutelarem sibi habebant, innuit. Quòd item Mercurius furtum

tum exercuerit, frequenter ſcribit Homerus & Lucianus: apud nos Horatius Odarum lib. 1. oda. decima.

DE DIANA SIVE LUNA.

CAPUT VIII.

De nomine Dianæ.

Diana quæ ultimum planetarum ſortitur locum, idcirco ſic appellata eſt, quod quaſi diem noctu efficiat, ſeu quaſi Duana, quòd duobus temporibus, die ſcilicet nocteque appareat, ut Cicero de nat. Deorum. Hæc creditur Luna quoque dicta, quod noctu ſola luceat, quaſi lucens una, ut Anglicus ſcribit. Unde in palatio noctiluca vocabatur, quod ibi noctu templum ejus luceret. Vel quod lumen à Sole acciperet, propter quod etiam Græci Selenen hanc Deam vocant, dicit Cœlius lib. 10. Dicebatur præterea Juno Lucina: Juno, à juvando: Lucina, ſive quod partum in lucem prodat, ſive (ut Plinius ſentit) quòd oculis præſit & luci: Sive à luco, quem Romæ in exquiliis habebat. Item

Proserpina, à serpendo, quoniam proserpere & serpere dixerunt veteres. Serpere enim Luna videtur, dum modo in dextram, modo in sinistram partem movetur, propter quod etiam omnivaga nuncupatur. Et etiam Hecate, quia Proserpina vel centum victimis placaretur, ut instituit Menelaus: vel centum annos errare faceret insepultos, vide Cœlium lib. 10. cap. 6. Scribit eam Macrobius Artemim quoque vocari, quasi aërem secantem.

De simulachro Dianæ.

His lineamentis ductum erat Dianæ simulachrum: pingebatur matronæ juvenis instar tribus capitibus, dissolutis crinibus, arcu tenso, sagittis, insequuture cervos, & caput cornutum in hasta ferentis, cui à dextra stabant Dryades, Hamadryades, Najades, & Nereïdes cum Satyris: â sinistra autem navis cum homine velificante in mari.

Simulachri Allegoria.

Fingebatur autem juvenilis Dianæ figura, quia ea ætas fortis est ad tolerandam viam, & minime tediosa laboris, cujus venatio ubertim scatet, utpote cui

nec

nec ullus montium videatur arduus, nec ulla via ſit ſcrupuloſa, neque ullum tempeſtatis genus ingratum: Quod Cicero lib. 2. Tuſcu. queſtion. notat: *Conſuetudinis* inquiens *magna vis eſt, pernoctant venatores in nive, uri ſe patiuntur &c.* Venationis autem habebatur Dea Hecate, quòd retia ad venandum inveniſſet, ut Diodorus ſcribit libro ſexto.

Tres habuiſſe formas creditur Diana, quòd triviis preeſſet, unde Trivia dicebatur antiquitus. Ovidius:

Ora vides Hecates tres in vergentia partes
Servet ut in ternas compita ſecta vias.

Cœlius autem cenſet aliter accipiendum illud figmentum: *tria enim capita præſentis Lunæ complectuntur typum ait, quæ cum ſurgit in cornua falcata dicitur: Quum circumagitur in orbem, tunc plena: quando vero dimidio orbe, cæſa, ut cum æqua proportione dividitur.*

Caput cornutum in haſta, ritum antiquorum venatorum exprimit, qui poſt felicem venationis eventum huic Deæ partem prede conſueverant offerre: Unde Papinius.

Et dives prædæ tamen accipit omni
Exuvias Diana tholo.

Sylvarum, montium, fontium, & fluviorum habita eſt Dea, quia paucarum virginum comitatu contenta, perpetuę virginitatis in ſylvis vivendo votum fecerat, unde tale ſecum habebat ſatellitium. Vel quia feris de nocte paſcua quęrentibus in nemoribus & in ſylvis, adminiſtrat luminis beneficium Luna: venationis eam dixerunt eſſe numen, teſte Anglico.

Navis à dextra, proſperę aut contrarię navigationis illam Deam indicat fuiſſe vatem: Sic enim Beda ait, „Si Luna „in principio rubeat ut aurum, ventos „oſtendit: ſi in ſummo ejus corniculo „maculis quibuſdam nigreſcit, pluvioſum „menſis exordium prætendit. Si vero ni- „greſcit in medio, plenilunium ſerenum. „Cum autem in nocturna navigatione ſcin- „tillat ad remos, in brevi tempeſtas futu- „ra erit: Colebatur igitur à nautis tanquam utriuſque navigationis divinatrix, niſi illud picturæ ad Charontis referatur navigium.

LECTORI S.

His quidem Colophonem imposuimus Diis, quos nostræ vitæ columnas sive Collossos recte vocaveris, (candide Lector) quoniam sic desuper agunt in corpora inferiora Planetæ, ut si actus eorum quiesceret, vivere cessarent animantia. At nunc alios suis coloribus quasi pœnicillo formatos subjungam, adeo liquidas & salubres humanę vitę scaturigines, ut Pythagoricus quaternio, unde vitam haurire solemus esse fons ejus effectus cessat. Ceres enim quę prima est, corpus, ne glandibus (porcorum edulio) vescatur, pane saginatum efficit. Bacchus ex ardore suo, ut facile in libidinem despumat: unde non minus vere quàm eleganter Comicus ait: *Sine Cerere & Baccho friget Venus.* Cupido lasciviendi immittit flagrantia tela, quę Priapus maturat ad prolem, quam Flora numerosam facit & multiplicem. Pluto numen opulentię nutrit atque fovet. Et tandem singuli ferè (nam uniuscujusque effectus singulatim enumerare tædiosum esset) hominibus commodum, quod nequaquam in fabis reperias, subministrant.

Quæſo tamen optime Lector, ne hiſce Dæmonibus tantas adſcripſiſſe virtutes ægre feras: ſicut ſolent qui ex tenui muſca Elephantum Indicum formare nituntur, quod uſitaſſimum eſt negociatoribus: juxta illud:

Laudat venales qui vult extrudere merces.

Vale candide Lector.

CERES.

CAPUT IX.

De nomine Cereris.

Ceres à gerendis frugibus prima litera propter affinitatem mutata, ut ſcribit Cicero de nat. Deorum, eſt dicta. Ea quippe frugum prima intulit uſum, quibus nondum inventis, homines veſcebantur glandibus: quod eleganter exprimit in 5. Transfor. Ovid:

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges alimentaque mitia terris.

Ipſa quòd leges prima inveniſſet, Theſmophora, id eſt legifera, & ejus ſacra, quę nos Cerealia, Theſmophorea dicebantur apud Grecos, quoniam ante frumen-

mentum inventum, homines ſine lege vagabantur: illo vero invento abjecta feritas eſt, & ex agrorum diviſione primo nata ſunt jura. Hinc Naſo:

Prima dedit leges, Cereris ſunt omnia munus.

Acreo quidam teſtatur eſſe dictam, quaſi omnium frugum creatricem.

Pictura Cereris.

Taliter pingebatur Ceres, in figura matronę pręcinctę, pannoſę & ocreis indutę equitantis bovem, animal natum aratro, habens dextra manu ligonem, in brachio calathum ſeminibus diſtentum: in manu autem ſiniſtra tenebat falcem meſſoriam, & baculum terendis frugibus convenientem, à quo etiam latere duo erant agricolę, quorum unus metebat, & alius triturabat: Inter duas pręterea arbores ſtabat ejus ſimulacri pictura pomis onuſtas, cum Junonis mittentis per ſata imbrem, & Apollinis exſiccantis ſegetes metendas, effigie.

Explanatio formæ.

Omnia hęc ruſticanę rei typum pręſerunt, nihil tamen ad rem, neque ligo,

non

non item calathus, vel arbores fœtosę, si Junonis, id est aëris desit temperatura: si denique Apollinis numen, hoc est Solis cursus, qui omnia, quæ ratione divina creantur, dispensat, atque ut corcœli cum Jovis sorore & conjuge singula componit atque ordinat: Unde jure dicetur Sol temperatio mundi, non solum terram, sed ipsum quoque cœlum, quod vere mundus vocatur, temperans, quemadmodum Macrobius lib. 1. de somnio Scipionis.

DE BACCHO.

Caput. X.

De nomine Bacchi.

Bacchus filius Jovis & Semeles; quem, cum vini attenderent virtutem homines, cujus dederat ipse principium, uti Deum in natura coluerunt. Dictus est ab insaniendo; quòd & ipse & ejus comites furere viderentur: vel à baculo ab eo invento, quo vino graves, ne cadant, suffulciuntur. Hunc Liberum quoque vocant, non ob licentiam linguæ, ut Seneca refert; sed quia liberat, asserit-

que

que animos à servitute curarum. Quod & hoc Lyrici Poëtæ carmen fatętur:

Curas edaces dissipat Euhius.

Vel à solutione in quam in fœmore Jovis immaturus infans fertur insutus fuisse. Aut quia Sol vagus igneas habenas immittit, ac terrę propius jungit, quoniam Euripides Apollinem ac Liberum unum, eundemque Deum esse fatetur: Unde Thraces Liberum summa religione venerantes, ædem ei dicatam habebant, specie rotunda, cujus medium tectum patebat. Ædis autem rotunditas Solis speciem monstrabat: tecto vero summo lumen admissum, ut appareret Solem cuncta vertice suò radiorum immissione lustrare. Hinc Orpheus Liberum Patrem Phaneta appellat: à lumine atque illuminatione, quia Sol cunctis visitur, cuncta conspiciens. Item Dionysium Physici dictum affirmant, quasi Jovis mentem, quia Solem mundi dixerunt mentem: mundus autem vocatur cœlum, quod appellant Jovem. Elileum præterea, ab ἐλελεῦ adhortantis adverbio, quo procedentes ad Orgia celebranda utebantur antiquitus. Quoniam adhortatur vinum & reddit hominem ad omnia aggredienda audacem, Unde Horatius:

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes jubet esse ratas, ad prælia trudit inermem,
Sollicitis animis onus eximit, ac docet artes.
Fœcundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?

Hæc de Bacchi nomine, tu si alia petis, legito Macrobium lib. 1. Satur. cap. 18. ubi multa ex his quæ nunc scripsimus & alia plura invenies. Naso etiam in. 4. Transfor. Bacchi nomina digito monstrat. Nunc ad effigiem.

De effigie Bacchi.

Effigies Bacchi ducta erat partim puerili ætate, corona ex hedera facta: partim juvenili, & barba in pectus vergente, cui aliquid adhærere videbatur senii. Hæc autem effigies nunc erat cornuta, ferox & crudelis, nunc sine cornibus, & mulieris instar coronatæ vitibus, in dextra ferulam, qua asinum astantem flagris afficeret, in sinistra cantharum. juxta se simiam, porcum & leonem habens. Sedebat hæc effigies in curru, quem equorum loco Lynces & Tygres vehebant.

Allegoria.

Diverſitas ætatum ad Solèm procul dubio refertur, ut parvulus videatur hyemali ſolſtitio, cum dies breviſſimi ſunt. Adoleſcens, vernali æquinoctio, cum jam dies ſunt longiores: pleniſſimæ barbæ effigie ſolſtitio æſtivo, quando ſunt longiſſimi: ſenex poſtquam Sol retrocedere ac paulatim vires amittere incipit: ita Macrobius. 1. Saturna. qui, ut antea dictum eſt de Euripide, conſimiliter Liberum patrem Solem eſſe credidit, quorum ſententiam Virgilius Georg. ſequitur, ſcribens:

- - - - - - - Vos ò clariſſima mundi
Lumina labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres.

Bacchi forma ideo hedera coronata fuit, quòd ipſum primum omnium capiti ſuo coronam ex hedera impoſuiſſe ferunt Græci, ut Plinius lib. 16. cap. 5. tradit, quem poſt Alexander Victor imitatus, cum exercitu coronato ex India rediit, eodem Plinio dicente.

Facies nunc cornuta & ferox, ut Sextus Pom. ſcribit, Baccho attribuitur, quòd

quòd homines nimio vino truces nihil consulte, nihilque moderate faciunt, sed cum impetu, etiam inermes ad conflictum prosiliant, cui Ovidius eleganter subscribit:

Nox, & amor, vinumque nihil moderabile suadent:
Illa pudore vacat, liber amorque metu.

Unde Solon unus e septem sapientibus, morte principem esse mulctandum lege sanxit, si deprehenderetur ebrius, quoniam is voluntario furore ad omnigenas temeritates & bella cornibus acutis esset obarmatus. Diodorus tamen lib. 5. scribit: *Cornua ob id sunt Baccho attributa, quòd primus omnium boves aratro junxerit, quorum opera jacta semina fruges emiserunt.*

Sine cornibus imago muliebris, significat modice sumpto vino homines fieri hilares, rimarum plenos, leves & prorsus ad naturas mulierum promptos, quibus innata apparet cum ebriis arcani eliminatio, Hinc Plinius lib. 14. cap. 22. vinum dicit usque adeo mentis arcana prodere, ut mortifera etiam inter pocula loquantur homines, & ne per jugulum quidem nunquam redituras voces contineant,

neant, quemadmodum mulieres quæ natura sunt loquaces, ut Comicus ait. Videtur & levitas sive perjurium probe potis, & mulieribus commune esse vitium, quod eleganter declarat Græcorum senarius:

Inscribe vino si qua jurat fœmina.

Innuens irrita esse solere quæcunque aut ab ebriis aut à fœminis dicantur, quas tali elogio Poëta commendat:

Verba puellarum foliis leviora caducis.

Ferulam & oblivionem Baccho consecratas, ait Erasmus in proverb. Memorem odi compotorem: nimirum per hoc indicans non oportere meminisse si quid in convivio peccatum sit. Aut certe levem admodum ac puerilem reprehensionem sufficere. Nam ferula pueros cædi solitos, vel Juvenalis indicat: Et nos ergo manum ferulæ subducimus.

Asinus adstat, propterea quod ferulæ sunt gratissimæ in pabulo asinis, cæteris vero jumentis præsentaneum venenum, ita proditum est lib. 24. Plinii cap. 1.

Cantharus Libero patri attribuebatur, teste Plinio lib. 34. cap. 11. quemadmodum Scyphus Herculi, Jovi Carche-

ſium, & amphora Neſtòri, quòd hiſce vaſculis uſi eſſent aut in ſacrificiis aut in conviviis.

Quid de tribus animalibus mythologicum veri habeat monſtrant natura & conditiones eorum. Quemadmodum enim ſimia etiamſi aurea geſtet inſignia, nihil extra ſuam naturam nec facere quidem poteſt, ſed ſemper manet quod eſt, ut eleganter exprimit Lucianus in quodam apologo de ſimiis Ægyptiacis. Ita quicquid in natura conditum temulenti, non fortunæ ornamentis, nec magna vi cælari poteſt. Quoniam Bacchi ingenium tollit animi fucum, veritatis ſimia oſtenſa: unde Theognis hoc celebratiſſimum extat:

Aurum atque argentum fabris dignoſcitur igni,
Vinum hominis prodens arguit ingenium.

Apud Eraſmum legito proverb. In vino veritas, ubi eleganter illam rem (ut omnia ſolet) exprimit.

Porci præſentia huc nimium quadrare videtur, quia hoc ſordidum animal ructus, qui inter ebrios audiuntur, bombos ventris & ea, quæ reponunt aſoti, quorum Cicero meminit lib. 2. de finibus, in delitiis habeat, vel ob jecoris magnitudi-

tudinem; quæ ſedes eſt concupiſcentiæ ac libidinis vel ob narium craſſitudinem & olfactum hebetem, qui ne fetore offendatur impedimento eſt.

Porrò leo ebrietatis indicat tyrannidem, ex qua ebrii inermes ad prælia inſurgunt, quod in Laphitarum manifeſtum eſt certamine: & in hoc Pliniano ex 14. Vinum atrocia mala, ſceleraque perficit. Sic igitur tres antiqui habuerunt ſpecies temulentiæ, Simiam, quæ etiam apud nos omne in ſe contentum aperit & manifeſtat: Porcinam, quæ ut quod ſemel ingurgitatum fuerat reponere, & hoc rurſus porcos acarnanios deglutire facit: Leoniam, quæ mentis expers judicabatur, unde voluntarii furoris eam dicebant eſſe gradum. Durat & hodie vulgo proverbium, non audiri verum niſi à tribus hominum generibus, pueris, ebriis, & inſanis, ad quod illa animalium diverſitas (ſi libeat) comparari poteſt. Tu tamen, candide lector, ſi meliorem hujus figmenti ſciveris expoſitionem, ungue meam ſusque deque feram notari.

Lynces & Tygres Baccho videntur aſſignari, teſte Probo, ut per earum colorem in vino varias hominum eſſe mentes intelligamus: vel ut per eas ſævitia

demonstretur, quòd quidam poti infinitam excedunt crudelitatem: Aut quia utrunque hoc animal uvis pascitur, ut tradit Solinus.

DE CUPIDINE.

Caput XI.

De nomine Cupidinis.

Cupidines tres fuisse Cicero scribit, at ille cujus imago sequitur Veneris & Martis filius, numen amoris & voluptatis habebatur: unde hunc Diogenes nominare solebat vacantium occupationem, Virgilius in Bucolicis insanum amorem, sic:

Nunc insanus amor duri me Martis in armis,
Tela inter media, atque adversos detinet hostes.

Plato amorem terrestrem atque vulgarem, ob id autem vitandum esse eum tanquam humano generi perniciosum. Hujus imaginem taliter format Marullus, quam inter formandum quoque declarat.

Ima-

Imago Cupidinis & declaratio.

Quis puer hic? Veneris: plena quæ causa pharetra est?
Non bene provisus certa quod arma movet.
Cur sine veste? simplex puer odit opertum.
Unde puer? pueros quòd facit ipse senes.
Quis pennas humeris dedit? inconstantia. quare
Nulla Deo frons est? signa inimica fugit.
Quæ sors eripuit lucem? immoderata libido.
Cur macies? vigilis cura, dolorque facit.
Quis cæcum prait? ebrietas, sopor, otia, luxus.
Qui comites? rixæ, bella, odia, opprobrium.
Qui cœlo dignati? homines. quæ causa coëgit?
Mitior autore est credita culpa Deo.
Heu curvum genus, & veri cordi inscia: quo jus
Fasque? scelus miseri si scelere abluimus.

Aliter Æneas Silvius ad Carolum.

Vidimus effigiem lascivi nuper amoris,
Quæ nimium mentem movit imago meam.
Nec barbam malis, nec corpore tegmen habebat:
Nudus terga, manus, pectora, crura, pedes.
At humeris alæ suberant, & flexilis arcus,

Lumina sub tenero cæca supercilio.
Cur puer imberbes nulla lanugine malas,
Cur melius nulla corpora veste tegat,
Lumine cur careat, pharetram cur gestet & arcum,
Cur habeat pennas Calliopeá refer.
Sic ego, sic retulit quæsitas illico causas
Maxima pegasei Calliopea chori.
Qui sapit, evitat malesana Cupidinis arma,
Et tantum pueros intrat ineptus amor:
Sive quòd est puero similis, qui cepit amare,
Et perit mente, pingitur inde puer.
Pingitur & nudus, nullum servare pudorem,
Et meminit simplex & manifestus amans.
Pingitur & cæcus, quid non bene cernit honestum,
Nec scit quo virtus, quo ferat error amans:
Vel quia quæ peccet credat secreta latere,
Cuncta nec in sese lumina versa videt.
Sic est omnis amans, sic omnia nescit
Consilium, famam, fœdera, jura, Deos.
Aurea quòd curvo torquebat spicula cornu,
Pungere corda ferus significatur amor.
Quod levibus volucres humeris suspendeat alas,
Causa est huc illuc quòd levis errat amans,
Vel quòd amor cursum non semper servat eundem:
Nunc abit & parvas post redit inde moras.

Dixe-

Dixerat & presʃis commutuit orʃa labellis,
Effudi tales protinus ore ʃonos,
Quam vidi effigiem pharetram geʃtabat & arcum,
Fax etiam in dextra, vel fuit ipʃa ʃua;
Sed quoniam veterum finxêre poëmata vatum,
Quos ego quid temere commemoraʃʃe putem?
Dic quarè nam tædas fertur geʃtare Cupido,
Dic precor armatas cur habet igne manus?
Quæʃitam verbis reʃpondens Muʃa duobus,
Sic leviter cauʃam reddidit, urit amor.
Accipe laʃcivi quænam ʃit amoris imago,
Carole cypriaci gloria magnà ʃoli,
Vt melius miʃerum, caveas dum noris amorem,
Et redeas ad te dum mea verba leges.

DE PRIAPO.

CAPUT XII.

Lampʃacum oppidum nobile eʃt Helleʃponti, inquit Strabo lib. 13. Geograph. Priapi Dionyʃii & Veneris filii, qui cum ob membri virilis magnitudinem ʃolatium mulieribus afferret, civitate expulʃus eʃt, procedente tamen tem-

pore etiam externis mulieribus gratus, tandem inter numina, non ſolum in urbium templis, ſed in agreſtibus quoque locis tanquam vinearum atque hortorum cuſtos colebatur, fructuum fures, Theſſalas mulieres & aves caſtigans atque arcens, quod Horatius lib. 1. Satyr. 8. notat his verſibus Priapo loquente:

Cum mihi non tantum furesque feraque
ſueta,
Hunc vexare locum, curæ ſint atque labori,
Quantum carminibus quæ verſant atque
venenis
Humanos animos, has nullo perdere poſſum
Nec cohibere modo.

Scribit & Diodorus lib. 5. priſcos, quum vellent hominum pudenda occultius nominare, Priapum nominaſſe.

Priapi ſimulachrum.

Hujus Dei ſimulachrum porrecto virili membro, ac nullis veſtibus tecto fingebatur, cum aſino aſtante.

Simulachri expoſitio.

Palus igitur ab inguine fœcunditatem ſig-

ſignat, cui etiam præeſſe dicebatur: unde numen hortorum eſſe meruit, qui nunquam ſine fructu reperiuntur. Quapropter hunc mulieres ſteriles pro fœcunditate adorantes, ejus ſacra cum riſu & ludo habebant, quòd illa inter adorandum petitio, non rata fieri poſſet ſine membro admodum ridiculoſo, ut citra riſum non potuerit nominari. Præſto aſinus eſt, quoniam huic Deo ſacrificabant aſinum mactantes, quod in. 1. lib. Faſt. Ovidius indicat:

Cæditur & rigido cuſtodi ruris aſellus,
Cauſa pudenda quidem eſt, ſed tamen apta Deo.

Hujus rei tamen cauſa eſt, quum Dii omnes Matris Magnæ feſtum conveniſſent, epuliſque ſatiati, noctem ludendo ducerent, quieviſſe humi Veſtam affirmat Ovidius, eamque Priapum ubi ſoporatam animadvertit inire voluiſſe, ſed intempeſtivo clamore aſelli, quo Silenus vehebatur, excitatam, libidinem inſidiatoris detexiſſe, propter quòd Lampſacenos in ultionem facinoris aſellum Priapo immolaſſe: & ut idem in poſterum fieret inſtituiſſe, præfatus teſtatur autor.

Quare non tegat geſtamen adeo obſcœ-

num, aperit Virgilius his carminibus ex Priapeis:

Cur obscœna mihi pars sit sine veste requiris?
Quæro tegat nullus cur sua signa Deus?
Fulmen habet mundi dominus, tenet illud aperte:
Non datur æquoreo fuscina tecta Deo;
Nec Mavors illum, per quem valet, occulit ensem,
Nec latet in tepido Palladis hasta sinu.
Num pudet auratas Phœbum portare sagittas?
Clam ne solet pharetram ferre Diana suam?
Num tegit Alcides nodosæ robora clavæ?
Sub tunica virgam num Deus ales habet?
Quis Bacchum gracili vestem prætendere thyrso?
Quis te celata cum face vidit amor?
Nec mihi sit crimen quod mentula semper aperta est,
Hoc mihi si telum desit, inermis ero.

DE FLORA.

CAPUT XIII.

Floram mulierem fuisse constat, quæ cum magnas opes quæstu meretricio quæsivisset, populum Romanum scripsit hære-

hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuofœnore natalis ejus celebraretur editione ludorum; quos Floralia dixerunt, in quibus mulieres nudæ verborum licentiam & obſcœnitatem edebant, viros illicitis motibus ſaltando allicientes ad ultimam Veneris lineam, ut inſtar naſcentium herbarum multiplicarent fœtus. Quod, quia ſenatui Romano flagitioſum videbatur, ut ſcribit Lactantius, ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur, Deam eſſe finxerunt, quæ floribus præeſſet, quam Ovidius in quinto libro Faſtorum Chlorim Zephyri uxorem vocat.

Floræ imago.

Hæc, teſte Plutarcho, in Caſtoris & Pollucis templo ſimulachrum à Praxitele ſumma cum induſtria formatum habuit, multis coloribus tunica indutum, in cujus dextra flores erant fabarum & ciceris.

Expoſitio.

Quemadmodum in Cerealibus albo utebantur veſtitu, quòd unus eſſet maturæ ſegeti color: Ita in Floralibus verſicolore, quòd nullus color eſſet qui non inveneretur in floribus.

Prop-

Propterea vero habebat fabæ & ciceris florem, quia teste Porphyrione, spargebant annuatim in floralibus ædiles cicer & fabas tunicato popello, ut videlicet eam leguminis & florum agnoscerent productricem & Deam.

DE PLUTONE.

Caput XIV.

De nomine Plutonis.

Plutoni Saturni filio divitiæ nomen dederunt: Quippe πλοῦτον Græci divitias dicunt, quapropter & à nobis Dis, hoc est dives appellatur: & Dispater, quasi divitiarum pater. Namque terrenam omnem vim atque naturam, Diti patri dedicatam Cicero lib. secundo de natura Deorum scribit, quod divitiæ omnes è terris, quibus ipse præsidet, oriantur, & in terras recidant. Thesauros porrò, in quos nullo fine congregantur opes, Pluti carceres quidam Rufus Perinthius vocavit.

Fabulantur & Poëtæ, Hispaniæ subterranea, non infernum Plutona, id est opulentiæ Deum inhabitare: quia tanta

est

est in eo terrarum tractu metallorum fœcunditas, ut Homerus literarum parens & opum ejus provinciæ gnarus in ea campum Elisium & piis dicatam sedem esse dixerit. Latius ea Cœlius tractat. 10. libro & 11. cap. 23. Plura alia huic Deo nomina à Poëtis sunt tradita, ut est Sumanus, Orcus, Uragus ab urgendo, Quietalis, quòd mors quies sit ærumnarum. Et Plato philosophus datorem divitiarum vocat: & alii aliter quod supervacaneum sit multis hic tractare, cum poëticæ studiosus ea passim ex authoribus per se valeat eruere: tractabimus nunc Dei figuram.

De Plutonis imagine.

Huic talem dederunt imaginem: Erat homo jam truculentus & terribilis, jam timoris aliquid præ se ferens, & cæcus, in solio sedens sulphureo, cujus dextra sceptro regali erat obarmata, sinistra vero anima, quam constringens lacerare videbatur. Cerberum sub pedibus calcans: juxta se habebat tres Harpyas, Proserpinam cum fusca & terribili facie: Furias quoque tres, horribiles & serpentibus crinitas: Parcas præterea, quinque inspicientes flumina orci.

Interpretatio figmenti.

Truculentus & terribilis pingebatur, quoniam ferociunt plerunque & non sunt tractabiles divitiæ: unde justo nomine inter ardua & difficilima quæque, ut Philostratus ait, debent connumerari. Cui prudenter subscribit Seneca: *Multum est inquit divitiarum contubernio non corrumpi, & affluentibus hinc inde divitiis, vitiorum fomitibus animum servare inconcussum:* nam ut idem epist. 88. scribit, *Divitiæ animos inflant, superbiam pariunt, mentem alienant, atque timorem inducunt.* Docet præterea Apulejus homini maximum detrimentum esse opulentiam, cum ait: *Immodicæ divitiæ velut ingentia & enormia gubernacula facilius mergunt quàm regunt, quia habent irritam copiam & noxiam nimietatem.* Hinc valde divites simulque probos inveniri Plato lib. 1. de legibus impossibile testatur.

Hunc præterea cæcum formasse veterum religionem neminem puto, qui nesciat, cui saltem ejus nominis comœdia apud Aristophanem non sit incognita. Quòd qui divitiis inebriantur, non cessant subinde injurios se prebere, quasi rectum saltem per nebulam aut transen-

nam videant: quodque in magna & ampla fortunę indulgentia cęcutiunt, veluti oculis verę rationis capti: quibus tamen, si opulentię adhibeatur utendi ratio, videndi usum Pluto recipit. Quod Sophistę Herodi factitatum scimus, apud quem minime luminibus captus divertisse fertur is Deus, quando bonorum affluentiam ad liberalitatis usum contulit, quòd sciret avaritiam esse totius vitiositatis metropolim.

Sed ideo meticulusus fingebatur Pluto, quòd opes divitibus meticulosum inferant habitum, quia multi divitibus tendunt insidias, nempe latrones, hęredipetę, principes, sycophantę, & uxor aliquando & liberi: Id eleganter explicans Juve. ait:

Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus, gladium contumque timebis,
Et motæ ad Lunam trepidabis arundinis umbram,
Cantabit vacuus coram latrone viator.

In omni negotio formidolosior est dives quàm pauper; cautius munit ædes furum metu; metuit tempestates propter frumenta quę habet in agris, propter mer-

ces quas habet in mari, metuit amicos ne quid rogantibus donare cogatur, metuit inimicos ne noceant, timidius conviciatur metu mulctę & prorſus omnia circumſpectius & facit & dicit metu calumnię, quę potiſſimum divitibus ſtrui ſolet: uberius illa declarat Eraſmus in Chiliadi. cujus hęc fuerunt verba. Aliam quoque ejus timoris cauſam ex Maſſejo poſſumus elicere, dum inquit.

Ex metu pallet aurum, quia multos habet inſidiatores.

Quòd Soliò ſulphureo ſedet Pluto, ſceptro, anima & totius inferni ſatellitio honeſtatus, inferorum eveniſſe illi ſortem indicat. Is enim cum frater Jovis atque Neptuni natu minor, partem occidentalem ſecus infernum mare occupavit, Juppiter plagam orientis, Neptunus inſulas, unde fabulę locus datus eſt ut Jovi imperium cœli, Neptuno maris, Plutoni inferorum obtigerit. At Diodorus lib. 6. aliter fabulam interpretatur: ſcribit enim Plutonem ſepulchrorum funerumque atque donorum; quę mortuis impenduntur, uſum introduxiſſe, cum antea nulla earum rerum apud homines eſſet conſuetudo, quę cauſa inquit extitit, ut vita functis dominari creditus eſt.

Parcæ

Parcas tres secum habuisse fingitur Pluto, quod, quem admodum Parcę, nemini parcat: unde Horatius libro primo odarum, Ode quarta:

Jam te premet nox, fabulæque manes,
Et domus exilis Plutonia, quo simul me-
aris,
Nec regna vini sortiêre talis.

Et alibi libro secundo:

Nil inter est an pauper & infima
De gente sub dio moreris,
Victima nil miserantis Orci,
Omnes eodem cogimur.

Idem lib. secundo, Ode. 14.

Nec pietas moram
Rugis, & instanti senectæ
Afferet, indomitæque morti.
Non si trecentis, quotquot eunt dies,
Amice places illacrymabilem
Plutona tauris.

De Parcis in cap. 54.

DE ÆSCULAPIO. ET SALUTE DEA.

Caput XV.

Æsculapius filius Apollinis insigniter depictus fuit his coloribus: Viri aurea statua, coronata lauro, prolixa barba & veste, portans in una manu bacillum nodosum cum serpente huic intorto, in altera Gallum: in sinu vero unguentaria vasa cum pharmacis, illi adstabat mulieris quædam statua ex argento facta, cui draco vigilans in brachium erat involutus.

Expositio.

Aurea statua ad Solis refertur nitorem, Macrobius libro 1. Satur. cap. 20. *Æsculapius*, inquit, *vir est de Solis substantia; subveniens animis corporibusque mortalium, unde medicum crediderunt antiqui.*

Laurus in corona, ut Plinius scribit lib. 23. cap. 8. hoc est, quòd ea arbor sit plurimorum remediorum. Barba vero prolixa signat radios Solis, quam Dionysius Syracusanus aliquando illi detraxerat, longa veste relicta, & adeò longa, ut

per

pertotum transiretorbem, dicens non convenire barbatum esse filium, quum in omnibus phanis pater imberbis sit, sic Cicero libro 3. de natura Deorum, & Vale. Maximus lib. 1.

In manu baculus nodosus, quem Ovidius lib. 15. transf. vocat agrestem, medicæ artis difficultatem notat, ait Pom.

Adstat huic simulachro Dea Salus, quæ naturæ lunaris habet effectum, quo animantium corpora juvantur, à salutifero firmata temperamento: Macrobius

Ideo ergo statuis eorum junguntur figuræ draconum, quia præstant, ut humana corpora velut infirmitatis pelle deposita, ad pristinum revirescant vigorem, ut revirescunt dracones per annos singulos pelle senectutis exuta. *Propterea & ad ipsum Solem species draconis refertur, quia Sol semper velut à quadam imâ depressionis senecta, in altitudinem suam ut in robur revertitur juventutis*: hæc Macrobius lib. 1. Satur. cap. 20. Sextus autem Pomp. *Draco* inquit, *in tutela Æsculapii est, quod sit animal vigilantissimum, qua res ad tuendam præsentem & restituendam præteritam valetudinem est maxima, & hoc quidem gallus horarum ales significat.* At Plinius lib. 29. cap. 4. *mul-*

ta serpentibus inesse remedia scribit, *unde Æsculapio dicati feruntur.* De Gallo vide Cœlium lib. 9. cap. 12. Jecur quippe serpentinum adversus serpentinos morsus est præsens remedium; & ad alia conducit quæ ibi legito. Circumfertur & talis fabula: Æsculapius cum de suscitando Glauco cogitaret, venisse dicunt ante eum anguem, quem cum baculo in dextra gestato percussisset ad necem, venisse mox alium anguem, herbam ore ferentem, & in caput defuncti posuisse, quo facto, hunc necatum revaluisse, herbamque hujus Dei oculis ostensam, unde per eam quoque tulit huic Glauco vitæ suppetias. Itaque fabulantur anguem Æsculapio sacrum, qui ideo ab Astrologis Ophiuchus, hoc est, serpentarius vocatur.

DE MINERVA.

CAPUT XVI.

De nomine Minervæ.

Minerva ex cerebro Jovis nata, quòd bene moneat, dicta est, Fest. Pompejo authore, hanc enim pro sapientia pone-

ponebant. At Cornificius, quòd pingatur minitans armis, Minervam nominatam putat. Cicero lib 2. & 3. de nat. Deo. *Quod vires minuat, eam dici affirmat.* Omnes enim, qui sapientiæ commercio insudant, efficiuntur debiles: & propter virium diminutionem, antequam planè juvenes sunt, consenescunt. Sic tamen Cœlius lib. 11. scribit *apud Mothonem Peloponesi civitatem, Pallados fuit templum, ubi cum violentiores ea loca venti insigniter obladerent, haud tempestive perflantes, fusis Deæ precibus, desierunt, nullumque deinceps calamitatis genus incolis enatum:* unde nomen Pallas Minerva est adepta, quòd ventorum minuerit vim.

Minervæ simulachrum sic pingebatur.

Armatæ mulieris instar, lorica & gladio accinctæ, casside cum crista, dextra vibrans hastam, sed in sinistra scutum habebat, gorgoneo capite tectum, glaucis oculis, & pallio triplici colore, cœlesti, aureo, & purpureo. Erat præterea illi apposita oliva viridis, & desuper noctua volitans.

Expositio,

Armorum autem ratio est, quoniam Mi-

nervam principem & inventricem belli ſcribit Cicero lib. 2. de natura Deo. Vel quemadmodum Lactan. lib. 1. cap. 21. quia ſanguinis effuſione placandum erat illius numen, quoniam ſacerdotes hujus Deæ proprio cruore ſacrificare cogebantur: unde talem afflatum capiebant, quod præſentia explicarent, & futura vaticinarentur.

Scribit præterea Cœlius Rodiginus de Minerva in mulierem miraculum, huic loco ſcite apponendum: *apud Pedaſenſes* inquit, *Barba prolixa Minervæ antiſtiti aliquot ſaltem anni temporibus nata videbatur ex vi & virtute ejus numinis.* Quæ barba quidem, ut *virilitatis inſigne, armis & hujus Deæ panopliæ convenire videtur. Nam rarum eſt alicujus mulieris barbam adeò longam apparuiſſe, ſi quidem caloris inopia in cauſa eſſe perhibetur:* unde juſto nomine celebratur hoc proverbium, Mulier barbitio obſepta eminus eſt ſalutanda, virilem enim accedit rabiem. Cæterum Homerus lib. 5. Illiados, *Palladem Junonis hortatu è cœlo in Trojanos iviſſe* ſcribit, *armis indutam Jovis, impoſuiſſeque galeam auream tribus criſtis inſignem, ac tot capitum humanorum capacem, quot milites centum urbium haberent.*

Ægis

Ægis autem gorgoneo capite dirum malum & terribile monſtrum, nihil eſt aliud quàm ut Lucianus ſcribit, Cupidinis ſeu Deſiderii in ſapientes horror: ſic enim Cupido interrogatus, cur à Minerva ſola abſtineat armis, nemini aliorum Deorum parcat: Reſpondit, Videt Minerva terribiliter, & in pectora habet faciem quandam horrendam viperis crinitam, quam ego maximopere formido, territat enim me, fugioque quoties aſpicio eam. At Macrobius ait, Gorgonià veſtis, quia Minerva Apollinis eſt præſes, virtutem Solis deſignat graviter intuendam.

De glaucis oculis ita Cœlius lib. 8. *Pallada Glaucopin vocant, non tam quia glaucos habeat oculos, quam de formidoloſo aſpectu quoniam & glauci dicuntur leones regii:* Et poëtarum quidam, dracones vocat glaucopas.

Triplici colore pallium, peplum denotat: nam Servius *peplum* finit *eſſe pallam fœmineam Minervæ conſecratam*. Quòd ſi vera ſunt quæ Lactantius ſcribit, rectiſſime prorſum veſtis ea Minervæ dicabatur, quando candor divinæ bonitatis ſimplicitatem exuberantiamque præmonſtrat: Auri internitentis ſplendor, ſum-

mæ atque intimę sapientię vim fulgurantem: Purpureus autem color Phœbi, cui ipsa præsidet, penetrantem fulgorem. Arbitrantur tamen quidam peplum concinna perindeque grata distinctum varietate, multiformem prudentiæ rationem significare, ut apud Cœlium est.

Oliva illi apposita erat, quia olearum, oleique educendi inventionem Minervæ adscripserunt antiqui. Nam ante hujus Deæ ortum erat hæc arbor aliis sylvestribus immixta, teste Diodoro lib. 6. Aut propterea, quòd certamen aliquando fuit, utrum Pallas Athenis nomen imponere deberet, vel Neptunus, de hoc enim contendebatur. Dii autem sic statuerunt, ut qui rem humano generi commodiorem invenisset, is urbi nomen imponeret. Cum igitur Neptunus tridente percussisset terram, equus exivit: Pallas vero, hastæ cuspide terra percussà, olivam in lucem eduxit, quæ mortalibus commodior judicata, Palladem victricem effecit, ut Ovidius sexto Transformationum.

Et desuper noctua volitans. Hæc avis Atheniensium populo quondam erat gratissima, ac Minervæ sacra habebatur: propter oculos cæsios quibus etiam in tenebris

nebris perſpicit ea, quæ vulgus avium non videt. Athenienſes quoque in nummis tum aureis tum argenteis noctuam cum Minervę aut Jovis vultu imprimere conſueverunt, Teſtis eſt Cœlius lib. 6.

DE PANE.

CAPUT XVII.

De nomine Panos.

Hunc Deum Arcades venerati ſunt, non ſolum ut ſylvarum, ſed univerſę materiæ dominum, cujus materię vis univerſorum corporum, ſive terrena ſive Divina ſint, componit eſſentiam: unde à Gręcis πάν, quod omne ſignificat, appellatur. Aliquando Faunus quoque dicitur, à fando: unde ab Horatio virorum Mercurialium cuſtos vocatur, quoniam à Mercurio ſermo manavit. Et Innuus ab incundo paſſim cum animalibus.

Panos figura.

Figurabant ſic Panem veteres: Erat homo rubicunda facie, ridens, barbatus, cornibus pedibusque caprinis, nudus, in ore tenens fiſtulam, in manu

virgam, pectore autem Nebridem ſtellatam, iſti vehemens pugna erat cum Amore, qui à Pane victus, juxta eum jacebat quaſi proſtratus ad terram.

Expoſitio.

Panos rubicunda facies, cornua, barbæque prolixæ demiſſio, & ſtellata pellis, naturam lucis & ſtellarum oſtendunt, qua Sol & ambitum cœli ſuperioris & inferiora colluſtrat, ſic Macrob.

Riſus autem ratio ab Arcadibus ſumpta eſt, qui finita Catabaſi (ſic enim inferiorem Solis meatum vocant) ſimulationeque luctus perfecta, celebrant lætitiæ exordium. 8. Calend. Aprilis, quem diem Hilaria appellabant, quo primum tempore Sol diem longiorem nocte reddens, terras illuſtrat: hujusmodi igitur lætitiam riſu ejus oſtendebant, quem totius terræ Deum eſſe arbitrabantur.

Caprinos pedes habuit, quoniam hoc animal & terrenum eſt & ſemper alta frequentat paſcendo, ſicut Sol, qui radios ſuperne demittit in terras, & cum ſe recolligit in montibus videtur, Macrobius. Vel quia caprarum, ovium, omniumque animalium cuſtos ferebatur. Eſt namque in Arcadia locus nomine Aula, ubi olim

olim visitatum est Panos templum, constanti fama omnibus, quæ illuc defugerint, animalibus haud dubie præstari salutem. Quippe si ea insequantur lupi, subsistunt protinus, ubi ad eam ventum est partem, nec ingrediuntur omnio: Hęc Cœlius libro duodecimo.

Gaudet iste Deus discurrere in altis montibus, ut Horat. indicat: *Velox amœnum sæpe Lucretilem, mutat Lyceo Faunus.* Et Ovidius 2. lib. Fasto. *Iste Deus velox dicurrere gaudet in altis Montibus.* Unde nudus pingebatur antiquitus, quoniam currenti vestis esset potius impedimento quàm expeditioni, quod idem Ovidius hoc versu declarat:

Nec satis ad cursus commoda vestis erat.

Fistula septem calamorum propter cœli harmoniam, in qua sunt septiformes soni, huic tributa erat. Vel quòd hæc fistula ordinem inæqualem spiritus ostenderet, quia venti, in quibus nulla æqualitas est, propriam sumunt de Sole substantiam, ait Macrobius. Seu quòd primus fistulæ extiterit inventor, illi adscripta est, quod Virgilius testatur in Corydone:

Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit, Pet

Per virgam in manu, Solis poteſtatem, qui cuncta moderatur, indicat.

Sed Amor in pugna ſuperatus à Pane, ad fabulam in. 1. lib. transfor. Ovidii deſcriptam, tendere videtur, ubi Poëta Syringis in cannam enarrat mutationem, unde ſtatim Pan fiſtulam ſeptem imparibus calamis ſimul conjunctis ſibi compoſuit.

DE HERCULE.

Caput. XVIII.

De nomine Herculis.

Hercules in tantam fortitudinem & gloriam evaſit, ut jam in Deos relatus merito id nomen conſecutus videatur. Quippe Hercules dictus eſt quaſi ἥρας κλεὸς, hoc eſt Junonis laus. Id autem propterea fictum à veteribus conſtat, quia Herculem Solem eſſe exiſtimarunt, qui vere heras, hoc eſt aëris cleos dici poteſt. Quæ enim aëris alia gloria eſt niſi ſolis illuminatio, cujus receſſu penitus ocultatur? ſic Macrobius.

Herculis ſtatua ſic pingebatur.

Græcorum plerique Herculis ſtatuam

ſic

ſic formare ceperunt, ut tetricus quidam vir in leonis exuvio ſiniſtra manu tria portaret mala, quæ clava fregiſſet ictibus crebris. Hoc tamen interempto prius dracone; qui in horto Heſperidum cuſtos fuerat pervigil. Qui vir manus quoque calloſas & crines minime affectatos habebat.

Expoſitio.

Hæc tria poma ſic comparantur, quando Draconem vigilem interfecit, hoc eſt concupiſcentiam, quæ inſomnis ſemper laborat, iræ quoque compreſſit ardorem, & habendi temperavit cupiditatem, ac denique voluptatum ſedavit titillationes, ſed omnia clava ſua, quam Apulejus in floridis dicit Philoſophicam vocari. Aſt Marcus Varro & Diodo. lib. 5. aliter interpretantur ea.

Leonis autem pellem non aliud eſſe ſcribit Ludov. Cœlius lib. 3. quàm generoſam viri prudentiam, qua is circummunitus obſeptusque, affectiones animi prærabidas exculcarit.

Manus calloſæ, laboris patientem indicant eſſe virtutem, quæ ut non eſt ornatus ſtudioſa, ita quoque omnem abhorret & reſpuit fucum, ſic Seneca quando virtutis deſcribit imaginem.

At

At quoniam Herculis facta est mentio, libuit ejus quoque egregie facta, quæ apud Virgilium ex ordine enumerantur, huc ascribere.

Prima Cleonei tolerata ærumna leonis,
Proxima Lernæam ferro & face contudit Hydram,
Mox Erymantheum vis tertia pertulit Aprum,
Æripedis quarto tulit aurea cornua cervi,
Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto,
Threiciam sexto spoliavit Amazona Baltheo,
Septima in Augeis stabulis impensa laboris,
Octava expulso numeratur adoria tauro,
In Diomedeis victoria nona quadrigis,
Gerione extincto decimam dat Iberia palmam,
Undecimam mala Hesperidum distracta triumpho,
Cerberus extremi suprema est meta laboris.

Sic Othmarus Luscinius.

Perdomui Nemees monstrum, mala bestia Lernæ
Concidit, & taurus, deinde necatus aper;
Threiciæ zonam rapui, Diomedis equos, hinc
Gerioneмque premens aurea mala tuli,

Augiæ

Augiam novi, cecidit cerva, atque volucres,
Cerberus abductus, lætus in astra feror.

Hęc omnia cęteraque Herculis gesta apud Diodorum, Ovidium in 9. lib & Plautum in Persa invenies longius explicata.

DE ANGERONIA.

CAPUT XIX.

De nomine Angeroniæ.

Angeronia Dea habita est à Romanis silentii. Cujus festa Angeronalia vocabantur, quæ fuerant instituta, cum tota civitas vexaretur angina, putabant enim ab hac Dea populum eo morbo, præmisso voto, liberatum. Sed ideo Angeronia dicebatur, quod angores atque animorum sollicitudines propiciata depelleret, ut dicit Verrius Flaccus.

Simulachrum Angeroniæ.

Ejus simulachrum ore obligato, obsignatoque in Ara Volupię collocatum erat.

Expositio.

Igitur vero in Ara Volupię, quę voluptatis erat Dea, hoc simulachrum stabat, quod dolor comes sit voluptati, & voluptas dolori.

At obligati oris ænigmate significabant veteres, eos, qui dolores & anxietates animi dissimulant, patientię beneficio, ad maximam pervenire voluptatem.

DE HARPOCRATE.

CAPUT XX.

Et tanti pretii, tantęque æstimationis silentium fuit apud veteres, ut non solum Angeroniam taciturnitatis numen, sed etiam Harpocratem in hoc peculiarem Deum venerati sint, qui sic fingebatur, ut digito admoto ori, comprimeret labra.

Expositio.

Innuens per hoc Deus iste tutum esse silentii pręmium, quemadmodum Aristidem dixisse fatetur Erasmus quoniam in Gręcorum est proverbio, *Oris effreni postremum occupat infelicitas.* Proinde Simonidis recte celebratur nobilis sententia.

Locu-

Locutum esse pœnituit sæpè, tacuisse nunquam. Hinc Anacharsis in convivio consopitus apud Solonem, ita decubuerat, *ut sinistra conprimi pudenda viderentur, os autem dextra, quod freno valentiore indigere linguam opinaretur, quam Veneris calamitosam intemperantiam.* Teste Cœlio lib. 7.

DE JUNONE.

CAPUT XXI.

De nomine Junonis.

Juno *à juvando*, inquit Cicero lib. 2. de. natura Deorum, *nomen trahit*. Cui consentit Varro. Nam sua gratia nutrit creata, quoniam aërem eam esse dixerunt Stoici, propterea soror Jovis habita est. Juppiter enim, qui est cœlum, & Juno ab iisdem seminibus suam traxerunt originem. Quorum est munus, omnia nova, calore & humiditate, aliarum qualitatum beneficio accedente, fovere atque juvamine enutrire. Est & Jovis conjunx habita, quod aër subjectus est Jovi. Lege supra cap. 3. de Jove. Cæteri autem scriptores Junonem quasi Janonem, id

 est

est Januam dici affirmant, quod portas matrum parturientium aperiat. Hinc Servius eandem dicit Junonem & Lucinam esse Deam, quod & Terentium in Andria sensisse putat. Lucina etenim parturientibus præerat, quod fœtus in lucem ederet dicta. Sed Macrobius Junoni Lucinam conjunxit, velut asseclam: qua ratione id fecerit, lege in hujus simulachri expositione.

Junonis simulachrum.

Pingebatur mulier in throno sedens cum sceptro regio, cujus caput nubibus velatum erat, ab una parte corporis mulier stabat, variegata veste, parata ad obsequium, ab altera quædam matrimoniali cultu insignis mulier Junonem sequebatur: Pavones item Junonis lambebant pedes, agnoscentes regiam dominam.

Explanatio ænigmatis.

Caput Junonis velatum nubibus, aërem significat, in quo nubes ex multis vaporibus condensatis in unum corpus, loci frigore, conglomerantur, dicit Anglicus.

Mulier picta veste, Junonis nuntiam designat, hoc est Irim, quæ dominium humiditatis in aëro prædicit. Cujus colores

lores sic inter naturæ mira numerantur, ut in Adagionis formam transierint, Super omnem Irim de veste splendida, variisque coloribus picta. Colorum Iridis mentionem facit Ludov. Cœli. lib. 12.

Sed altera mulier, quæ Junonem sequitur, Lucina est, quam apte huic velut asseclam junxerunt veteres, quia connubia (quibus præest Juno) precedunt, unde Juga, teste Festo, quoque nominatur. Et Lucina sequitur, id est partus, per quem infans in lucem prodit.

Pavones astant Junoni, quod Juno caudæ pavonis Argi oculos à Mercurio interfecti imposuerit, quemadmodum scribit Ovidius lib. 1. Transfor. Unde hæc avis Junoni peculiariter est sacrata, propterea Junonia dicitur, ut indicat Ovidius in. 1. lib. de arte amandi.

Laudatas ostendit avis Junonia pennas,
Si tacitus spectes illa recondit opes.

DE ISIDE.

CAPUT XXII.

De nomine Isidis.

Isidem Jovis Ægyptii regis filiam Deorum honores consecutam scribunt au-

 thores,

thores, quod multis beneficiis homines donaverit. Unde in templo Vulcani apud Memphim ſcribunt eam eſſe ſepultam. Iſta prima triticum & hordeum, quę prius incognita hominibus, quum ſponte inter cęteras herbas creſcerent, inveniſſe fertur. Leges quoque Iſidem ſtatuiſſe ferunt, propter quod priſci Gręci Iſidem legiferam appellarunt, tanquam primam legum inventricem. Ægyptii præterea aſſerunt, quod & omnes ferè poëtę teſtantur, Iſidem plurima inveniſſe medicamenta, medicæque arti multum contuliſſe, quæ omnia confirmat Diodorus. Hanc Ægypti Genium vocat Servius.

Iſidis ſimulachrum.

Ejus ſimulachrum continuatis uberibus, linea veſte, & cornibus ornatum fuit, tenens in dextra ſiſtrum ac ſiniſtra naviculam.

Interpretatio.

Hinc eſt quod continuatis uberibus corpus Deæ omne denſatur, quia terræ alimento nutritur univerſitas: nam Iſidem multi terram eſſe dixerunt.

Sed linea veſtis candorem Lunæ demonſtrabat, quod & multi hanc Lunam

eſſe

esse crederent. Hac veste utebantur quoque ejus sacerdotes, unde linigeri dicti feruntur. Et ex illa causa in capite ejus videbantur cornua. Luna etenim cornuta est hoc tempore quo primis diebus apparet. Vel quia bos illi ab Ægyptiis sacrificatur, ut Diodorus. Nisi ad fabulam referamus ea, quæ est de Jo filia Inachi regis Argivorum, cujus abunde mentionem facit Ovidius in. 1. lib. Transfor.

Sistrum in dextra æneum fuit crepitaculum in ejus sacris conveniens.

In monimentum vero navigationis, qua in Ægyptum delata est, habebat in sinistra naviculam. Unde quoque factum exstimo ut anser Isidi mactaretur, quòd aquis gaudeat perpetuo hæc avis, quæ quanquam diu in eis habitat, tamen semper ac si per navem sit vecta, non apparet aquis aspersa. Propterea Plautinus quidam optat sibi anserinam sortem dari, ut videlicet per imbrem non efficerentur sibi vestimenta humida.

DE OSIRI.

CAPUT XXIII.

De nomine.

Osiris, quem Diodorus nunc Seraphim, nunc Dionysium & Pluto-

nem dici affirmat, Jovis ex Niobe filius rex Argivorum, regno fratri suo relicto, in Ægyptum profectus est, ubi Isim duxit uxorem. Tandem autem à fratre suo Typhone occisus est, & in sex ac viginti partes scissus. Isis tamen propter sui mariti necem auxilio Hori filii, Typhonem interemit, & omnes partes mariti, quas magno mœrore confecta quæsiverat, præter pudenda cum invenisset, aromatibus & cera conjungens, in viri restituit formam. Convocatis deinde Ægypti sacerdotibus, singulis dedit Osiris imaginem, jubens ut velut Deum colerent, eique animal, quod videretur idoneum, dicarent, illud venerantes tanquam Osirim: *Sacerdotes obsecuti sunt Isidis imperio, taurum dedicantes, quem sub nomine Apis, quod eorum lingua bos sonat, ut Deum coluerunt:* Hæc Diodo. lib. 1. Ejus tamen numen quale quale fuerat, solis dicebatur effectus teste Macrobio.

Osiridis effigies.

Ægyptii quoties hieroglyphicis literis Osirim exprimere voluerunt, sceptrum, in quo species oculi insculpta erat, formabant. Aliâs autem hominem in vertice calathum portantem, cui adjunctum vi-

de-

debatur ſignum tricipitis animantis, in medio leonis, dextra parte canis, læva autem lupi rapacis: quas animalium formas draco connectebat volumine ſuo, capite redeunte ad Dei' dexteram, qua compeſcebatur monſtrum.

Explanatio.

Sceptro monſtrabant Oſirim eſſe Solem, qui regali poteſtate ſublimis, cuncta inſpiceret: *quia ſolem Jovis oculum dicebat antiquitas*, ut ait Macrobius.

Vertex autem calatho inſignitus, altitudinem ſolis & capacitatis potentiam oſtendit: quia in eum omnia terrena redeunt, dum immiſſo calore rapiuntur.

Caput leonis, præſens tempus denotat: quia conditio ejus inter preteritum futurumque, actu præſenti valida fervensque eſt. Sed præteritum tempus lupi capite ſignatur, quod memoria rerum tranſactarum rapitur & aufertur. Item canis blandientis effigies, futuri temporis deſignat eventum, de quo nobis ſpes, licet incerta, blanditur. Tempora autem cui niſi proprio famularentur autori? Hæc Macrobius lib. 1. Saturnalium.

DE ANUBI ET MACEDONE.

CAPUT XXIV.

Anubis & Macedon Osiridis filii fuerunt, quorum uterque armis usus est insignibus aliquo animali, haud eorum naturæ dissimili. Nam Anubis canem, Macedon lupum in armatura tulit. Qua ex re hæc animalia Ægyptii in summo honore habebant, & horum animantium formis apud illam gentem, colebantur & Anubis & Macedon, sic Diodorus lib. 1. qui alia plura scribit in 2. lib. de hac re.

DE ASTRÆA.

CAPUT XXV.

Astræam ex Aurora filiam Astræi, qui unus ex Titanibus fuit, ob summam æquitatem, ipsam justitiam esse dixerunt antiqui, unde cœli honore est dotata, quod his carminibus Aratus indicat.

Nam cum adhuc terras habitaret Astraa,
Nondum vesanos rabies nudaverat enses,
Nec consanguineis fuerat discordia nota,
Sed post crescentibus vitiis evolavit in cœlum.

Et Ovidius in. 1. Transfor.

Ultima cœlestum terras Astraa reliquit.

Imago Justicia.

Ita à pictoribus apud veteres fieri consuevit Justitiæ imago. Forma atque filo virginali, aspectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis neque atrocis sed reverendę cujusdam tristitię dignitate.

Scyrpi solutio.

Ita Chrisippus illam effinxit imaginem, cujus significatione voluit intelligi judicem, qui justitię antistes est, oportere esse gravem, sanctum, severum, incorruptum, inadulabilem, contraque improbos, nocentesque immisericordem atque inexorabilem, erectumque & arduum, ac potentem, vi & majestate ęquitatis, veritatisque terrificum. Hęc Aulus Gellius lib. 14. cap. 4.

DE PERSEO.

CAPUT XXVI.

Perseus filius Jovis, Asiæ rex, in numerum Deorum relatus est, ob Asiam debellatam, & tres sorores, quæ Gorgones dictæ, eam partem terræ possidentes, excellenti sapientia devictas. Huic talem ascripserant figuram antiquitus. Erat juvenis armatus, & suffultus alis, in hasta portans caput Medusæ, & scutum cristallinum, cujus adminiculo interficiens sorores, terram commaculabat sanguine.

Interpretatio.

Per juvenilem ætatem & panopliam, Persei corpus validum & viribus excellens intelligere possumus, quod haud laude digna faciet, si Minerva, id est sapientia, unde scutum accommodato sumpserat cristallinum, & Mercurius, qui est eloquentia, unde alas & ensem habebat, desit. Quod eleganter etiam his carminibus lib. 3. carminum Flaccus scribit.

Vis consilii expers mole ruit sua,
Vim temperatam Dii quoque provehunt

In majus, iidem odore vires
Omne nephas animo moventes.

Terra sanguine aspersa Lybiam notat, in qua occisas Phorci gnatas poëtæ fabulantur, ex quarum sanguine eam regionem ita infectam scribunt, ut venenosis serpentibus maxime abundet. Unde in proverbio dicitur.

Lybia semper adfert malum aliquod.

DE NEPTUNO.

CAPUT XXVII.

De nomine.

Neptunus filius Saturni ex Ope, Deus maris habitus, à nando dictus ut Ciceroni placet, vel quemadmodum Varro ait de lingua, *quod mare & terras obnubit, velut nubes solent.* Is item Hippius sive equester apud veteres nomen habuit, Festo attestante, vel quod Pegasus ex eo & Pegaside natus sit. Aut quod tridentis ictu terræ, equum exciverit, cui ob hoc in Illyrico nono quoque anno quaternos equos in mare jaciebant. Aut quod equos primus domuerit: atque equitandi ab illo traditam rationem fabulantur.

Neptuni imago.

Erat ejus imago, homo nudus in mari natans cum tridente, quo littus percutiens prodibat equus, quem circumnatabant Tritones regem ſuum tubis venerantes.

Expoſitio.

Imago nudi hominis Neptuni inventum declarat. Nam ſecundum Cretenſes primum navigandi arte inventa, claſſem inſtituit, ejusque præfectum eſſe à Saturno factum, ſcribit Diod. lib. 6. Quapropter traditum eſt Neptunum imparaſſe mari, ſacraque ei à navigantibus facta. Littus percuſſum tridente, quid ſignificet, lege cap. 16. in capite de Minerva.

Tritones monſtra ſunt marina conchis canentia, teſte Plinio lib. 32. cap. 11. quæ fabuloſe Neptuno dicebantur inſervire, ita ut fluvios in ſuos fontes revocarent.

DE OCCASIONE.

CAPUT XXVIII.

De nomine.

Occaſio temporis opportunitas caſu quodam proveniens, teſte Feſto, dicitur,

dicitur. Hæc in aggrediundo conficiendo negotio, præcipuum adeo habebat momentum, ut veteres ei divinitatem aſcripſerint.

Simulachrum Occaſionis.

Ejus ſimulachrum ad hunc modum fingebat antiquitas, volubili rotæ inſiſtens mulier pennatis pedibus, partem capitis priorem tegebat capillis, poſteriore glabra relicta; ut illa facile præhendi poterat, hac nequaquam. Eam ſic depinxit Eraſmus ex Græco carmine Poſidippi.

Quæ patria artifici? Sityon. quo nomine? nomen
Lyſippo dictum. eſt ipſe quis es? loquere:
Illa ego cuncta domans Occaſio. cur age pinnis
Inſiſtis? volvorque, ac rotor aſſidue.
Cur gemina in pedibus geſtas talaria? dicam,
Huc illuc volucrem me levis aura rapit.
Quid dextra ſibi vult inſerta novacula? ſignum hoc
Quod quavis acie ſim mage acuta, docet.
Tecta capillitio facies quidnam admonet? illud

Quis

Quisque uti me, quoties efferor, arripiat.
Cur autem capitis pars posticaria calvet?
Quem semel alatis præterii pedibus
Is, quanquam volet inde cito me prendere cursu
Haud liceat, simul ac vertero terga viro:
Hac itaque idque tua me finxit imagine causa
Hospes, scalptoris ingeniosa manus,
Spectandamque domus hic prima in fronte locavit,
Scilicet ut cunctos & moneam & doceam.

Sic Morus.

Unde erat hic plastes? Sicyonius. at quis erat? dic:
Lysippus. tu quis? tempus ego omne domans.
Cur summis instas digitis? roto semper. at alas
Cur pedibus gestas? ut levis aura feror.
At dextram cur armat acuta novacula? signum est
Quod conferri acies non potis ulla mihi est.
Cur coma fronte jacet? quod qui me prendere captat

Pro-

Præveniat. calvum est cur tibi retro
caput?
Quod, postquam levibus præceps effugero
pennis,
Nil aget à tergo, qui revocare volet.

Non ab re fuerit & Ausonianum Epigramma subscribere: quod, ut admonet Politianus, è Græco videtur effictum. Carmen sic habet.

Cujus opus? Phidiæ, qui signum Palladis, ejus
Quique Jovem fecit tertia palma ego sum,
Sum Dea, quæ rara, & paucis occasio nota.
Quid rotulæ insistis? stare loco nequeo.
Quid talaria habes? volucris sum, Mercurius quæ
Fortunare solet, trado ego cum volui.
Crine tegis faciem? cognosci nolo. sed heus tu
Occipiti calva es? ne tenear fugiens.
Quæ tibi juncta comes? dicat tibi. dic rogo quæ sis.
Sum Dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit,
Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas,
Nempe ut pœniteat, sic Metanœa vocor.

Tu modo dic quid agat tecum? si quando volavi
Hæc manet, hanc retinent quos ego præterii.
Tu quoque dum rogitas, dum percontando moraris
Elapsam dices me tibi de manibus.

DE FAVORE.

CAPUT XXIX.

Est huic præcedenti carmini non absimile illud Dardano autore scriptum in Favorem ab Apelle pictum.

Pictor Apellea quid pingis ab arte Favorem?
Unde illi generis semina nota parum?
Hic genitum forma, fortuna hic jactat alumnum,
Casu ille, ille animi dotibus, esse satum:
Qui comes assiduus lateri? assentatio. & ecqua
Ponè subit lentis passibus? invidia.
Ecqui circumstant? opulentia, fastus, honores,
Legesque, & scelerum sæpe libido parens.
Cur facis aligerum? fortunæ elatus ab aura
Advolat alta, imo nescius esse gradu.

Quare

Quare oculis captum pingis? non novit amicos
Improbus ex humili quum petit alta loco.
Quid rotulæ insistit? fortunam imitatur, & infert
Se socium, instabiles qua tulit illa pedes.
Cur tumet atque extra sese ambitiosus effert?
Obcæcare animos fata secunda solent.

DE FORTUNA.

CAAUT XXX.

De nomine.

Fortuna à ferendo dicta est, quod temere atque sine ratione feratur. Nam *Fortuna*, ut inquit Lactantius lib. 1. cap. 29. *est accidentium rerum subitus atque inopinatus eventus.* Philosophus autem lib. 2. phisicor: ita diffinit: *Fortuna est*, inquiens, *causa per accidens.* Unde Cicero lib. 2. de divinatione sic ait: *Quid est aliud sors? quid Fortuna? quid eventus? nisi quum sic aliquid cecidit, sic evenit, ut vel non cadere atque evenire, vel aliter cedere atque evenire potuerit.*

Ex hac autem Fortuna Deam esse fac-

 tam

tam creditum est, quod, quicquid esset boni aut mali, eam posse tribuere judicarunt. At in hac re errorem esse antiquæ religionis, Seneca ostendit epistola nonagesima: sic dicens. *Nihil neque boni neque mali dare potest fortuna, valentior enim omni fortuna animus est, qui in utranque partem res suas ducit, beataque ac misera vitæ sibi causa est.* Cujus sententiam utroque pollice commendat Salustius in Jugurtha. *Dux*, inquiens, *atque imperator vitæ mortalium animus est, quippe fortuna probitatem, industriam, atque alias bonas artes neque eripere cuiquam potest*, unde Juvenalis *Satyra decima:*

Nullum numen habes, si sit prudentia, sed te
Nos facimus fortuna Deam, cœloque locamus.

Quam sententiam pedibus init Calentius inquiens.

Incusant me mortales, & iniquam
Dicunt, quod opes, quodsimul honores
Donem non dignis, & me Deam vocant,
Nemini fidam, fautricem malorum.
Errant profecto, non est meum dare,
Aut præripere, fati fratris mei est,
Datis addere hoc est solum meum.
Orbem circuo, pervia ad portas
Urbium,

Urbium, rogo cui sit bene viro,
Cassio dicunt, Hirtio, Lucullo,
Addo inquam ego. deinde cui sit male:
Dicunt, Severo, Fusio, Cecinnæ,
His addo quoque, non igitur mea est
Culpa, sed fratris, dare non merenti.
Si quæ dederit his augeam soror,
Credens a fratre cuncta bene geri.
Ergo non me, sed fratrem incusate
Qui fortunam dicitis iniquam.

Ea quippe varia sortitur nomina apud autores, quorum rationem ostendit his versibus Beroaldus.

Ut tua multijuga est, varia & numerosa potestas,
Sic sunt multa tibi nomina facta Dea

Plinius lib. 2. *ex ejus potentia sibi multa & varia nomina attribui*, scribit. Sed Tullius ita fatetur, ignoratio rerum atque causarum naturæ, fortunæ nomina induxit, quorum aliquot his versibus constant.

Tu sors, atque Tyche, modo tu fortuna vocaris,
Te modo naturam, cœlicolamque vocant
Quidam te Nemesim memorant, Rhamnusia alliis

Diceris, ast aliis Nortia dicta Dea es

Simulachrum fortunæ.

Pingebatur antiquitus Fortuna, cæca, ut duplicem haberet faciem, anteriorem albam & blandam sed ea pillis carentem, posteriorem autem nigram, infanam, brutam, & capillosam, in una manu viscosa Copiæ cornu, & altera gestans regimen, pedibus alatis sphæram calcans volubilem.

Joannes Frobenius, qui typographorum fuit celeberrimus, hanc in equo velocissimi cursus equitantem formavit, quam fati tenso arcu sequeretur dira necessitas. Quidam rotæ quatuor diversitatibus instar, quæ forma omnibus apud plebeios est usitatior.

Explanatio.

Cæcitatis ratio est, non quod ipsa cæca sit, sed quod eos plærumque cæcos faciat, quos complexa est, unde Cicero de amicitia, *Fortuna*, inquit, *ut medicus ignarus multos excæcat.* Aut quod ex improviso accedit & recedit, cæca pingitur.

Alba & nigra facies prosperitatem & rerum discrimina notant, unde in proverbio cir-

circumfertur. *Si quem fortuna nigrum scripserit, hunc non universum ævum candidum reddere potest*, hoc est cui fortuna refragatur, huic, quicquid tentaverit, infeliciter cedet. Vide Erasmum in hoc proverbio. Idem intellige de calva & capillata figura.

Sed per hoc quod Fortuna blanditur, à fronte panem a tergo lapidem porrigere videtur, quod & illud Catonis carmen indicat.

Indulget fortunæ fors ut lædere possit.

Et Publius. *Fortuna, cum blanditur, captatum venit.* Quorum sententias comprobat Hircius lib. 4. de bello Alexandriaco. Fortuna plærumque eos, quos plurimis beneficiis ornavit, ad duriorem casum reservat. Seneca item dicit: *quem nimium fortuna fovet, hunc stultum facit.* Et alibi. *Neminem adversa fortuna comminuit, nisi quem secunda fefellit.*

Beroaldus ad Roscium.

Si fortuna tibi comis blanditur, in altum
Tolleris, ut lapsu mox graviore ruas.
Exemplo tibi sunt Trojana & Persica regna,
Argolicique duces, Romuleique duces.

Inſana demum fingitur, quia atrox, bruta, quia inter dignum aut indignum nequeat habere diſcrimen, quemadmodum Pacuvius teſtatur. Hinc eſt quod Virgilius cecinit:

Evertis bonos, erigis improbos,
Fortuna immeritos auges honoribus,
Fortuna innocuos cladibus afficis.
Iuſtos illa viros pauperie gravat,
Indignos eadem divitiis beat,
Hæc aufert juvenes & retinet ſenes,
Injuſto arbitrio tempora dividens,
Quod dignis adimit, tranſit ad impios,
Nec diſcrimen habet.

Quare vitreas manus habere dicitur, ſcribit Beroaldus ad Roſcium.

Et vitrea eſt, homines quos prendit & arctat,
Auceps ut viſco prendere tentat aves.

Cum copia & gubernaculo hanc fingunt, tanquam hæc opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat. Cui opinioni & Virgilius aſſenſit, *fortunam omnipotentem* vocans. Et hiſtoricus, qui ait: *Sed profecto fortuna in omni re dominatur.* Hinc Beroaldinum carmen.

Ipſa

Ipsa gubernaclum gestas, quia cuncta gubernas,
Et quia tradis opes, copia juncta tibi est.

Sphæra sub pedibus, fortunæ exprimit naturam, quam stabilem Boetius nocat, cum maxime instabilis est huc & illuc cursu ambiguo volans, unde Æstuaria, sive Euripus vocatur in Adagio. Quod etiam Pacuvius his declarat versus: *Saxi instar globosi prædicant esse volubilem, quia quo saxum impulerit fors, eo cadere fortunam autumant.* Et Beroaldus:

Hæc Dea non stabilis, varia est & lubrica & omni
Mobilior vento, mobiliorque polo.

Quod autem equitantem fingimus, id est, quia cum fastu humiles præterire solet, quos demum suis sycophantiis & blanditiis in arrogantiam allicit, juxta illud, quod vulgo dici solet, fortuna insolentes facit, quos tandem mortis necessitas, [illegible] sequitur, [illegible] si præpotentes, [illegible] rum.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres.

At rotæ diverſitates quatuor, tot hominum gradus ſive ordines indicant. Quidam enim ſunt in ſumma proſperitate, & tales ſunt elevati in rota fortunæ. Alii ſunt in ſumma adverſitate, & tales jacent dejecti ſub rota. Tertii declinant de proſperitate in adverſitatem, tales deſcendunt de ſummitate. Quarti vero procedunt de adverſitate in proſperitatem, tales aſcendunt, unde ſic Alanus:

Præpostero movet illa rotatu,
Hos premit, hos elevat, hos dejicit, erigit illos,
Cogit & in varios homines deſcendere caſus.

DE GENIO.

CAPUT XXXI.

De nomine & ſignificatione.

Genius eſt numen quoddam familiare, quod nobis naſcentibus datur, ut Servius ſcribit lib. 6. Æneid. Hunc Cenſorinus aſſerebat (ut alii ſcribunt) Genium dici, quod ut gignamur curat, ſive quia unà nobiſcum gignitur, aut quod genitos ſemper tuetur. Eundemque eſſe Ge-

Genium & Larem ostendit. Nam is à matre sua Lara quoque Lar dictus est, quæ filia Almonis extitit.

Euclydes Socraticus duplicem omnibus appositum esse Genium dixit, bonum & malum. Sed hos Christiana veritas angelos vocat, non cum nascente genitos, sed nato sociatos, quorum alter bonus, in bonum semper urget quem servat, alter autem malus in contrarium nititur.

Sunt & qui geniales Deos dixerunt, aquam, terram, ignem, aerem, ut auctor est Festus, quod omnium sint rerum semina.

Duodecim quoque signa & lunam & solem, Geniales dixere veteres, à gerendo, quia plurimum posse putantur, unde eos & Genios appellarunt. Alii naturæ Deum definierunt Genium, unde *indulgere genio pro obsequi naturæ, & voluptati operam dare*: sicut e contrario *defraudare genium*, quod est *interrumpere voluptatem*. Hinc *genialis hyems* dicta, hoc est *voluptuosa*, & *genialis homo hospitalis*. *Genialis lectus* qui in nuptiis sternitur, vel quod in eo indulgemus genio, vel quod in honorem Genii apparatur, vel à generandis liberis.

Huic item vim omnium generandarum

rum rerum attribuerunt, unde hominum quoque dicebatur parens: ſic Paulus Marſus.

Imago Genii.

Is autem per anguem oſtendebatur: teſtis Anthonius Fannenſis, quo tamen argumento non oſtendit.

Huic præterea frons dicata eſt, ut auris memoriæ, dextra Fidei, genua miſericordiæ, eodem Anthonio dicente. De hoc Deo plura ſcribit Eraſmus vir immortalitate dignus, in proverbio: *Genius bonus.*

DE VIRTUTE DEA.

CAPUT XXXII

Quid Virtus.

Severiſſimi ſanctiſſimique philoſophorum ſummum bonum in honeſto, hoc eſt, in ipſa virtute poſuerunt, exiſtimantes ſolum ſapientem eſſe omnia. Unde exiit illud Horatianum.

Ad ſummam, ſapiens uno minor eſt Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Et

Et ob eam causam virtutem medii Orchestram possidere veteres crediderunt. Est autem virtus vitium fugere, & sapientia prima, stultitia caruisse, author est Horati. lib. 1. Epistola. Et Lucil. Satyræ conditor virtutem his versibus enarrat.

Virtus est homini scire id quod quæque habeat res,
Virtus scire homini rectum, utile, quid sit honestum,
Quæ bona, quæ mala, quod inutile, turpe, inhonestum,
Virtus quærendæ rei finem scireque modumque,
Virtus divitiis pretium persolvere posse,
Virtus id dare, quod re ipsa debetur honori,
Hostem esse atque inimicum hominum, morumque malorum:
Contra defensorem hominum, morumque bonorum.

Poeta Comicus in Amphitrione, sic ait: *Virtus omnibus rebus anteit profecto, libertas, salus, vita, res, parentes, patria, & prognati, tutantur, servantur. Virtus omnia in se habet, omnia adsunt bona quem penes est virtus.* Seneca lib.

lib. epiſtolar. 9. ad Lucilium: *Virtus*, inquit, *eſt recta ratio*. Auguſtinus *virtutem bene vivendi artem dicit*. Cicero in Tuſcu. quæſti. *ad beate vivendum ſatis poſſe virtutem* autumat. Cui aſtipulatur Silius illo verſu.

Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces.

Claudianus.

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque late
Fortunæ ſecura nitet, nec faſtibus ullis
Erigitur, plauſu petit aut clareſcere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

Ea quippe à viro appellata eſt, quod virtus maxime virum deceat, ſi Ciceroni credendum.

Simulachrum

Virtutis autem ſimulachrum in ſaxo quadrato, pulverulentum, capillis inaffectatis, callofis manibus, virilique vultu, ſedebat intuens cœlum.

Expoſitio.

Quemadmodum fortunæ alcam volubilem,

lem, sphæræ symbulo indicaverunt antiqui, sic virtutis pertinacem constantiam, saxo quadrato & immobili. Quod Hermannus Buschius his versibus exponit.

Argentum cedit virtuti, cedit & aurum,
Subjacet imperium virtuti, terra fretumque,
Et nutant dominam sidera cuncta suam.

Aut ideo in saxo quadrato sedet, quia numerus quaternarius continet in se omnem vim & perfectionem numeri. Cui assimulatur vir bonus, qui virtutis perfectiones complectitur omnes, quibus bene & recte utitur in quacunque fortuna. Unde neque varius esse, neque à fortunæ afflatu mutari potest, sed æqualis est semper ac rectus. Ex qua re natum est, ut talem virum tetragonum sive quadratum appellemus. Lege Cœlium lib. 10. Reliquum figuræ ad improbum laborem, quo virtutis acquiruntur præmia, denotat. Cujus rei exemplo est Hercules solum leonis exuviis tectus, qui antequam voluptates multasque devicerit, callosas sibi manus comparavit & virium conatu fortem præstitit virum, non verbis aut oretenus, sed factis atque re ipsa: quod maximum est juxta illud Mantuani apoph-

pophthegma : *De virtutibus loqui minimum est, sed virtutibus uti labore, Sampsonis est opus.* ad quod Cicero alludit : *Virtutis laus*, inquiens, *omnis in actione consistit.*

Virtus in cœlum erecta, continuas rerum divinarum notat contemplationes, ex quibus originem traxit quod Seneca scribit ad Gallionem.

DE CONCORDIA.

Caput XXXIII.

Concordia à Romanis Dea credita est, quod parvas res magnas fieri juberet, juxta illud Sallustii dictum : *Concordia parvæ res crescunt, discordia vero maximæ dilabuntur.* Hæc templum habuit Romæ non longe à lacu Curtio in monte Palatino, quod Livia Drusilla constituerat, ut Ovidius lib. 1. Fasto. commemorat.

Simulachrum.

Colebatur autem Concordia sub forma Ciconiæ, quæ alia lingua pelargus vocatur, aut quia Concordiæ erat sacrata hæc avis, aut quod in parentes multum unanimi-

nimitatis & concordiæ ostendere videatur. Unde Petronius eam *pietaticultricem* nuncupat. Et Solinus capite 37. inquit: *Ciconiis inest pietas eximia.* Etenim quantum temporis fœtibus educandis elargiuntur, tantum & ipsæ à pullis suis invicem aluntur. Hoc Plinius lib. 10. cap. 23. comprobat his verbis: *Ciconiæ*, inquit, *genetricum senectam invicem educant.*

Hanc ob causam, antiquitus in regum summo sceptro Ciconiæ figura ponebatur, in imo Hippopotamus, ut ipso gestamine admonerentur, concordiam seu pietatem plurimi facere oportere, violentiam cohibere. Nam Hippopotamus animal efferum est ac violentum, atque adeò impium, quippe quod interfecto patre matrem init, Testis est Plutarchus in commentario, cui titulus, *utra animantia sint prudentiora, terrestria an aquatilia.* Vide Erasmum in Proverbio ἀντιπελαργεῖν. Et Lud. Cœlium lib. 13. cap. 66.

At Angelus Politianus vir & Græce & Latine peritus Heliani scriptoris testimonio ductus, *sub specie cornicis colebatur*, inquit, *Concordia.* Cornices enim sunt inter se fidissimæ avium, quæ cum societatem coierunt, maximopere invicem se dili-

diligunt. Nam altera extincta, compar viduam agit ætatem. Cæterum veteres in nuptiis post Hymnæum cornicem invocabant, signumque id erat concordiæ jam conjunctis matrimonii jugo, ut, qui librorum quærendorum gratia convenissent, in unanimitate viverent Hæc Helianus.

DE DECRETA DEA SYRORUM.

Caput XXXIV.

Et Syri coluerunt Deam sub facie humana & piscis corpore: cujus nomen Decreta extitit. De hac Dea sic fabulatur Diodorus: *Venerem* ait *aliquando obviam factam Deæ, quam Syri Decretam nominant: quæ cum amore cujusdam adolescentis speciosi exarserat Veneris instinctu, peperit filiam, quam pudore ducta & pœnitentia, ad loca quædam deserta & saxosa exposuit, ubi ab avibus est enutrita. Ipsa vero Dea ob dolorem in lacum se abiecit, ubi casu quodam in piscem est conversa, sub cujus imagine colebatur a posteris: qui Syriaco more postmodum a piscibus, tanquam a sacris abstinuerunt.* Hæc Diodorus.

Sed

Sed ejus abstinentiæ aliam quoque rationem ascribere visum est; cujus ab Higino succincte habetur mentio. *Quodam tempore*, inquit, *Venerem cum Cupidine filio in Syriam ad flumen Euphratem venisse compertum est; ibidemque repente typhona apparuisse, Venerem in flumen se cum filio abjecisse, & in piscis formam se mutasse, quo facto, periculo liberatos fuisse, destitisseque Syros his locis proximis pisces edere, quod timerent ne quis numen aliquod gulæ vitio dehonestaret.* Et hujus fabulæ meminit Ovidius 2. Fastorum.

DE GRATIIS.

CAPUT. XXXV.

Gratias duas in religione habuit Lacedæmoniorum pietas, sed Atheniensium tres. Has in Theogonia cecinit Hesiodus esse Jovis & Eurymones filias, sive Eurydomenes aut Eurymeduses: quamvis Cicero has ex Herebo & Nocte ortas existimat. Alii ex Venere & Libero patre. Facile tamen crediderim ex Jove & Eurydomene: quoniam à Jove omnis gratia procedit, & Eurydomene ab abundanter dando nomen habet: Vel ex Jove & Eu-

rymone, quæ ab abundanter retribuendo appellata eſt: Seu Eurymeduſe, quod rego ſignificat, quod, qui liberales & munifici ſunt, cæteris imperare conſueverunt. Neque videtur abſurdum eas ex Baccho & Venere traxiſſe ortum: quoniam horum Deorum muneribus potiſſimum gratiæ conciliantur. Hæ ab Orpheo in Hymnis dicuntur his nominibus: *Aglagia*, quod eſt lætitia: nam merito lætari videntur & qui dant & qui accipiunt beneficium. Unde & Charites vocantur à Græcis. *Thalia*, id eſt, viriditas: quod beneficium nunqum languet, ſed ſemper viret. *Euphroſine*, quæ delectationem notat.

Tres autem ideo eſſe prodiderunt, quia & benifici in alios eſſe debemus, & aliorum beneficia ſuſcipere, & iis, qui in nos liberales fuerunt, retribuere. Dare autem, accipere, & referre, tres actus ſunt inter ſe diſtincti.

Alii vero ideo dicunt tres Gratias eſſe, quia acceptum beneficium cum fœnore reddi debet. Vide Lact. lib. Et ex hac cauſa ſic formaverunt earum imagines:

Simulachrum.

Ut una earum averſam faciem teneret, quaſi

quasi à nobis profecta, duæ vero nos aspicerent, unde & connexis manibus, in Accidalio fonte, qui est Orchomeni Boetiæ urbe, ut Mela scribit, lavantes.

Scyrpi solutio.

Una aversa incedere, & aliæ duę ad nos respicere pinguntur, quoniam profecta à nobis gratia, duplex reverti solet. Propter quod inquit Virgilius: *Nec te certasse priorem Pæniteat.* Nudę pingebantur, quia beneficia fuco carere debent, & nullo velamine obtegi. Item connexæ, quia insolubiles esse Gratias decet, ut beneficium semper beneficium pariat, perpetuumque sit amicitiæ fœdus. Vide Erasmi proverbium: *Gratia gratiam parit.*

Lavari dicuntur in fonte, quoniam pura esse beneficia oportet, & nihil sordidum, nullamque spem retributionis habere. De his multa Lactantius lib. 2.

Porrò *moris fuisse antiqui novimus*, ait Cœlius, *ut in urbibus Gratiarum substruerentur templa, quale primus fecit Etheocles Orchomeniorum rex*, ut docet Strab. Geogr. lib. 9. Ideo autem, quia civitas servatur, cùm retribuitur, rependiturquę ex rationis similitudine, ut, si quis ali-

quem malo affecerit, idem ex rationis libra à lege referat. Quod si bonum, itidem bonum, si gratia, gratiam. Sic Cœlius libro. 12.

Neque hoc prætereundum censuimus, Gratiarum simulachra veteribus non fuisse citra indumenta, ut inquit Pausanias, qui, cur antiquorum ratione mutata pingantur nudæ, se testatur nescire.

DE BONA DEA. SIVE FATUA.

Caput XXXVI.

Calendis Maii celebrabant Romani Bonæ Deæ festum, unde hanc Majam seu Majestatem uxorem Vulcani quidam dixerunt, quæ eodem colebatur tempore. Ea quippe terra est, quæ bona recte dicitur, quod omnium nobis ad victum bonorum causa est. Unde & Opem vocatam censeamus, quod ipsius ope atque auxilio vita constat.

Hanc Fatuam à multis nominari compertissimum est, quod infantes partu editi, non prius vocem edunt, quàm terram attigerint: Vel quod mulieribus fata canere consuevisset, ut Faunus viris.

Et Faunam, quod omni usui animantium faveret. Damiam item, quia ei in operto sacrificabatur. Unde sacerdos ejus Damatris appellabatur, & sacrificium, quod ei fiebat, Damium, à contrario sensu, quod minime esset δημόσιον, hoc est publicum. Sed ideo publicum appellari consuevit, quia mos fuit quotannis pro salute Po. Ro. in ædibus pontificis maximi huic Deæ sacra fieri, ut legimus in vita Ciceronis: quibus faciendis tantum mulieres aderant.

Hanc quidam Medæam putant, quod in ejus æde omne genus herbarum esset, ex quibus Antistites dabant plærumque medicinas: & quod templum ejus virum introire non liceret, propter injuriam, quam ab ingrato viro Jasone perpessa est.

Romani eam Dryada, Fauni uxorem existimant, in cujus sacris mulieres multa bacchanalibus similia faciebant, peragentes noctu magnam partem sacrorum sonis tibiarum & longis vigiliis. Quidam Fauni filiam: quæ, quod obstitisset voluntati patris in amorem suum lapsi, virga myrtea verberata est: unde talem haberi virgam in ejus templo religio fuit. Lege Macrob. lib. 1. Satur. cap. 12. qui eam remsu sius tractat.

Sunt qui Floram dicunt Bonam Deam, in cujus æde omni florum genere exornata, solæ mulieres conspiciebantur. Alii quoque Semelen crediderunt, Alii Proserpinam: unde porca ei rem divinam testantur factam, quia segetem, quam mortalibus Ceres in usum tribuere solet, porca gaudet præter commodum absumere. Et Plutarchus inquit, *Romæ Bona Dea colitur, quam Græci quidem Gineciam nominant,* Hæc ferè omnia scribunt Macrob. Satur. & Plutarchus in Cæsare: qui & alia multa adducunt, quæ laconismo studentes de industria omisimus.

Simulachrum.

Huic in sinistra sceptrum erat regium, quoniam potentiam Junonis hanc testatur habere Macrobius.

DE ÆOLO.

CAPUT XXXVII.

De nomine.

Æolus Jovis ex Acesta filius; apud nos varius & dolosus interpretatur; quoniam Deus ventorum habitus est, quo-

quorum flamina vario meatu feruntur, & dolose navigantium spes decipiunt. Hic insulas Tirrheni maris possedit, quæ ab eo sunt Aeolides dictæ. Ejus imago sic erat formata.

Imago Æoli.

Stabat in antro vir coronatus & linea veste præcinctus, habens in utraque manu pro tuba concham ori appellicatam, sub utroque pede follem fabrile instrumentum: A sinistro latere Juno aëris typus videbatur, à dextro autem Nympha seminuda uxoris vice.

Mythologici simulachri explanatio.

Antri ratio est, *quod* (ut Albertus literis demandavit) *ventos esse vapores ex terræ cavernulis superiora aëris transcendentes, credunt philosophi.* Reliqua ad hujus Dei referuntur dominium, quod ideo Æolo tribuitur: *quia*, ut Varro indicat, *tempore belli Trojani, apud insulas Siciliæ & Italiæ propinquas, ex consurgentibus nebulis futuros ventos sic certo omine divinabat, ut eos à rudibus sit in sua potestate habuisse creditus.* At Diodorus lib. 5. aliud adducit, nempe quod nautas velis uti docuerit, & observatione ignis, qui venti fu-

turi essent prædixerit. Prioribus quoque consentanea scribit Plin. lib. 3. cap. 9.

DE ANNO.

Caput XXXVIII.

Anno ascripserunt veteres ut rerum omnium patri, id commendationis, quod Terræ Deorum hominumque parenti quidam ascribendum opinati sunt, videlicet Annum productivæ virtutis potentem & non agrum. Quod referri à Theophrasto lib. 8. de plantis comprobat eximiæ doctrinæ Erasmus Rot.

Est autem annus authore Macrob. non solum is, quem nunc communis omnium usus appellat, quique à nonnullis in octo dividitur sesquimenses, & quatuor tempora, Ver, Aestatem, Autumnum & Hyemem, sed annus est singulorum luminum sive stellarum emenso omni cœli circuitu à certo loco in eundem locum reditus.

Dicitur autem annus à circuitu temporis: quia veteres an pro circum ponere solebant, ut Cato in Originibus Oratorum. id est, circum terminum, & ambire circumire. Circumit enim annus in se rediens, velut anulus. Lege Macrob. Satur. lib. 1. cap. 4.

Anni

Anni Simulachrum.

Ante inventas literas (ut Servius ait) *indicabatur annus picto dracone caudam suam mordente, ut anni introitus & finis in uno puncto notarentur.* Unde & Pan totius naturæ Deus, pedum, hoc est, baculum recurvum habet propter annum, qui in se recurrit, ut supra scripsimus in capite 17.

DE JANUARIO.

CAPUT XXXIX.

De nomine.

At quoniam anni adduximus typum, visum est operę pretium forę, ejus quoque numerosę prolis, hoc est, mensium, sermonem facere, quos hoc ęnigmate Anni natos esse percepimus. Ænigma est Cleoboli. *Unus est pater, isque duodecim filios habet, eorum singulis triginta sunt filiæ, quarum aliæ candidæ aliæ nigræ sunt, immortales vero sunt, & moriuntur omnes.* Ibi aliquot dies anno detractos videri, non moveat nos, quoniam Cleobolus tempore Julii Cęsaris vixit, quo

annus tot ſolum habuit dies. Primus igitur menſium Januarius eſt, quem cum Februario Numa Pompilius anno Romuli adjecit, qui decem tantum menſium fuit, à Martio ſumens exordium.

Hunc autem Numa ideo primum eſſe voluit, & non Martium, *quod in omnibus placeret rem urbanam bellicæ in honore præferri*, ut Plutarch. in Numa ſcribit. Quamvis nonnulli dixerint ideo Januarium cœptum primum omnium numerari, quod exactis regibus, Kalendis Januariis primi conſules creati fuerint. Is à Jano bicipite nomen habet, qui ſive Genius, ſive rex fuerit, dicitur ferum & ſylveſtrem cultum in urbanum civilemque mutaſſe. Hinc eſt quod ei omne principium ſacravit antiquitas.

Imago Januarii.

Pingebatur vero geniali voragine abſumens epulas, & in manu portans ſcyphum potu repletum: quia tunc animalia abundantiorem cibi copiam exigunt propter mutationem caloris exterioris ad interiora. Propter quod hoc tempore maxime viget appetitus.

Neque hoc prætereundum cenſuimus ſilentio, menſibus ſingulis ſuum peculiare nu-

numen in veterum superstitiosa, anxiaque vanitate additum. Siquidem Januarii pontificium habere Juno credebatur, Februarii Neptunus, Martii Minerva, Aprilis Venus, Maii Apollo, Junii Mercurius, Julii Jupiter, Augusti Ceres, Septembris Vulcanus, Octobris Mars, Novembris Diana, Decembris Vesta.

Extat Q. Ennii carmen Deorum penatium nomina continens, quos patrios alii, Varro Terentius etiam urbanos nominat:

Juno, Vesta, Minerva, Ceresque, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo

DE FEBRUARIO.

CAPUT XL.

De nomine.

Februarius lustrationis & expiationis mensis fuit authore Plutarcho, mensium secundus, Dictus est, ut Festo placet, *quod tum populus februaretur*, hoc est, lustraretur ac purgaretur. Vel à Junone februata, quam alii februalem, Romani Februlim vocant, quod ipsi eo mense

sacra

ſacra fiebant: Ejusque feriç erant Lupercalia, quo die mulieres februabantur à Lupercis amiculo Junonis, id eſt, pelle caprina: quam ob cauſam is quoque dies februatus appellabatur. Lege Ovid. Faſt. lib. 2. Anglicus à Februo, hoc eſt, à Plutone vocari autumat, cui ille menſis erat ſacratus.

Februarii imago.

Depingitur autem Febrarius ſenex ad ignem pedes calefaciens, quoniam hoc menſe potiſſimum graſſatur frigoris injuria, propter diuturnam ſolis elongationem quę pręceſſit: teſte Anglico.

DE MARTIO.

CAPUT XLI.

De Martii nomine.

Tertius menſis, vel juxta ſeriem Romuli primus, à Marte Romuli patre, & nominis Romani authore, Martius dicitur. Vel, quemadmodum Iſidorus ſcribit, *quod hoc menſe animantia ad marem*, id eſt, coitum *moveantur.*

Martii pictura.

Is tanquam vinitor, sive hortulani instar formabatur antiquitus. Nam in mense Martio aperiuntur pori terræ, per quos humores ascendunt in arbores & reliqua. Unde hoc tempore eas arbores & vitium per totum annum culta, necessum est purgari, ne solum in ligna steriles luxurient.

DE APRILI.

CAPUT XLII.

De nomine.

Quartum mensem Aprilem nominavit Romulus, quasi Aphrilem, à spuma quam Græci ἀφρὸν vocant, unde orta Venus putabatur: ut quemadmodum primus mensis Martius (juxta ordinem quem Romulus fecit) à patre suo Marte, ita secundus ab Æneæ matre Veneris haberet nomen, & ii potissimum menses auspicarentur, à quibus Romani nominis origo processisset. Alii tamen putant, Romulum vel altiore prudentia, vel certi numinis providentia, ita primos ordi-

nasse menses, ut, cum præcedens Marti esset dicatus, Deo plerumque hominum necatori, ut Homerus ait, secundus Veneri dicaretur, quæ vim ejus quasi beneficio leniret. Sic Macrob.

Sunt etiam qui non à Venere hunc mensem apellatum existiment, sed ab aperiendo dictum Aprilem, quasi Aprilem, quoniam cum ante æquinoctium vernum triste sit cœlum, & nubibus obductum, mare item navigantibus clausum, terræ etiam ipsæ ab aqua, aut pruina, aut nevibus contegantur, ea omnia, verno, id est, hoc mense aperiuntur. Sic Athenienses ἀνθεστηριῶνα hunc mensem vocant, quod omnia eo florescant. Hæc Varro libro quinto,

Effigies Aprilis.

Is vero mensis formabatur, hominis in dextra florem portantis effigie: quoniam tunc apertis terræ cavernulis, ea floribus incipit vestiri. Quod eleganter indicat Hor. Odarum lib. 4. ubi veris adventum describit.

Diffugêre nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comæ:

Mu

Mutat terra vices, & decrescentia ripas
Flumina prœterunt:
Gratia cum Nymphis, geminisque sorori-
bus, audet
Ducere nuda choros.

DE MAIO.

CAPUT XLIII.

De nomine Maii.

Majum Romúlus tertium mensem posuit, apud nos, própter eos, quos Pompilius adjecit, quintus est. De ejus nomine inter autores lata dissentio est. Nam Fulvius Romulum dicit, postquam populum in majores minoresque divisit, ut altera pars consilio, altera armis rempub. tueretur, in honorem utriusque partis, hunc Majum, sequentem Junium mensem vocasse,

Sunt qui hunc mensem ad nostros fastos à Tusculanis traxisse commemorent: apud quos nunc quoque vocatur Deus Majus, qui est Juppiter, à magnitudine scilicet & majestate dictus.

Cingius mensem nominatum putat à Maja, quam Vulcani dixit uxorem: ar-

gu-

gumentoque utitur, quod flamen Vulcanalis Calendis Maii huic Deæ rem divinam fecit. Contendunt alii Majam Mercurii matrem mensi nomen dedisse: hinc maxime probantes; quod hoc mense mercatores omnes Majæ, pariterque Mercurio sacrificant. Hæc Macrob. Anglicus 9. lib. Madium vocari affirmat, à madefactione pluviarum: quia hoc mense Pleiades, Hyades, & aliæ stellæ pluviales oriuntur, quarum virtute & beneficio pluviæ & rores ad seminum in agris demittuntur irrigationem.

Imago ejus mensis.

Sed quoniam hoc tempore omnia rident, florent, virent, aves citantur ad cantum & amorem, pecudes saltant, hominumque geminantur gaudia, ideo coloribus his ducebant Maii typum, ut adolescens amœnitatis stúdio in manu volucrem portans equitaret.

DE JUNIO.

CAPUT. XLIV.

De nomine.

Junius Majum sequitur, aut ex parte populi (ut supra diximus) nominatus;

natus: aut, ut Cingius arbitratur, quod Junonius apud Latinos ante vocitatus, diuque apud Aricinos, Præneſtinosque hac appellatione in faſtos relatus ſit, adeò ut apud majores quoque noſtros hęc appellatio manſerit: ſed poſt, detritis quibuſdam literis, ex Junonio Junius ſit dictus. Nam & ędes Junoni Monetę Cal. Juniis dedicata eſt. Nonnulli putaverunt, Junium menſem à Junio Bruto, qui primus Romę conſul factus eſt, nominatum, quod hoc menſe, id eſt, Calen. Juniis pulſo Tarquinio, ſacrum Carnę Deę in Cœlio monte voti reus fecerit. Sic Macrobius.

Junii ſimulachrum.

Junii ſolſtitialis menſis dextra fœnaria falce erat inſignis. Nam in ejus medio ſol cancrum intrat, unde calore ſolis humorem in radicibus deſiccante, quicquid graminis eſt, ad maturitatem vergit, & inde fœniſei operam deſiderat.

DE JULIO.

CAPUT XLV.

De nomine.

Sequitur Julius, qui, cum ſecundum Romuli ordinationem Martio anni

 tenente

tenente principium, Quintilis à numero vocaretur, nihilominus tamen etiam post prępositos à Numa Januarium ac Februarium, retinuit nomen, cum non videretur jam quintus esse, sed septimus. At postea in honorem Julii Cęsaris dictatoris, legem ferente M. Antonio filio consule, Julius appellatus est, quod hoc mense ad quartum Idus Quintilis, Julius procreatus sit.

Quintilis imago.

Quia tempus hujus mensis conveniens est messioni, propter solis fervorem, qui tunc actum suum in leone adimplet, hic cum falce pingitur messoria.

DE AUGUSTO.

CAPUT XLVI.

De nomine.

Dehinc Augustus succedit, qui antea Sextilis vocabatur, donec honori Augusti ex senatus consulto consecratus est, cujus verba hęc fuerunt. *Cum imperator Cæsar Augustus mense sextili, & primum consulatum inierit, & triumphos tres*

in

in urbem intulerit, & ex Janiculo legiones deductæ, secutaque sint ejus auspicia ac fidem, & Ægyptus hoc mense in potestatem potuli Romani redacta est, finisque hoc mense bellis civilibus impositus sit; atque ob has causas hic mensis huic imperio felicissimus sit ac fuerit, placere senatui, ut hic mensis Augustus appelletur: sunt hęc Macrobii verba.

Simulachrum.

Pingebatur hic mensis cum flagello & quadriga, privans terram frugibus quoniam in hoc mense fruges colliguntur in horrea.

DE SEPTEMBRI.

CAPUT XLVII.

De nomine & simulachro.

September nonus est mensis, quia septimus ab imbre, hoc est à Martio, quando solent imbres inundare, Est autem mensis iste, finis ęstatis & principium autumni, & ideo pingitur tanquam vindemiator colligens uvas. Nisi illud significet hęc pictura, quod Columella

ſcribit ſeptimo Calen. Septembres ſtellam oriri, quam vindemiatorem vocitant, quę (ut Plin. ſcribit) mane exoriens vindemię promittit maturitatem, unde hoc tempore vinalia celebrabant, ideo Veneri ſacrata, quod ut Plutarchus ſcribit, in vinalibus multum vini è templo Veneris profundi moris fuerit: vel ut oſtenderetur diem feſtum agi ſobrie oportere. Aut quod ferunt, Mezentium Hetruſcorum ducem ad Æneam miſiſſe aliquot, qui cum eo fœdus facerent, ut annuatim certum vini numerum ab eo acciperet, Quod poſtea cum Æneas negaſſet poſcenti, Mezentius ſe Tirrhenis daturum pollicitus eſt, ſi prelio viciſſet. Re itaque cognita Æneam Diis immortalibus vinum conſecraſſe, & collectum, templo Veneris effudiſſe. Erant autem vinalia feſta de guſtandis vinis inſtituta.

Iſte menſis apud Hebręos in magna veneratione habebatur, quoniam ſeptenarium numerum perfectum crediderunt, unde ſeptimus dies, ſeptimus menſis & annus cęteris fuerunt inſigniores, teſte Anglico lib. nono cap. 16.

DE OCTOBRI.

CAAUT XLVIII.

De nomine & simulachro.

October ab imbre octavus, dicitur autem quasi octavus imber. Hunc mensem Domitianus suo nomine invaserat, sed ubi infaustum vocabulum ex omni ęre vel saxo placuit eradi, menses quoque usurpatione tyrannicę appellationis exuti sunt Romani. Sic Macrob. Hic mensis susceptionem seminum disponit & habilitat: unde in similitudinem hominis seminantis formatur.

DE NOVEMB.

CAPUT XLIX.

De nomine & imagine.

Undecimus mensis est November, sic dictus, quod sit ab imbre nonus. Is, quoniam, eo instante, animalia & potissimum sues impinguantur, quibus ut cibum habilem subministret, quercus fructu aggravatas rusticani hominis instar liberat.

DE DECEMB.

CAPUT L.

De nomine & figura.

December duodecimus est mensis ab imbre Martii, qui est pluviosus decimus. In hoc mense propter asperitatem & injuriam vehementis frigoris animalia domestica sunt exigui motus: unde etiam melius saginantur quam reliquis temporibus. Quapropter in hoc plærumque conviviis adaptantur, & mensem genialem vocant, id est, Geniis vel voluptatibus convenientem. Celebrabantur hoc quoque mense Saturnalia, quæ & Genialia dici cœperunt propter voluptates delicatiores, quæ in his fiebant. *Nam genialia curare* (ut autor est Donat.) est *lautius vivere:* & *Genium defraudare*, est *necessaria* & *jucunda subtrahere*. Quid Genius, dictum est cap. 31. Is igitur mensis lanii mactantis porcum figura pingebatur.

DE CYBELE.

CAPUT LI.

De nomine.

Sub Cybeles nomine terram coluerunt Phryges, unde Cybelen à monte

Cybelo nominatam, matrem Deorum, quod omnia producat terra, vocaverunt, sic Plin. lib. 2. cap. 6. Et Almam ab *alendo*, Berecynthiam à *Berecynthio*, Dyndimenem à *Dyndimis*, Ideam ab *Ida*, ut scribit Geographus Strabo: Palem, quia pabulorum sit Dea, unde ejus festa *Parilia* dicebantur, quasi *palilia* ut Varro sentit, ut alii, quoniam pro partu pecoris ea sacra fiebant. Plura ejus Deæ nomina recenset Apulei. De aureo asino.

Hæc, cum singulari forma, prudentiaque præstaret, ab Apolline dilecta dicitur, & deinde jussu oraculi à Phrygibus pro Dea culta; inquit Diodorus.

Cybele & Cœlum Varro Deos magnos esse voluit, licet alii Jovem Minervam, Ægiptii Isidem & Osiridem.

Simulachrum.

Simulachrum matris Deorum ferebatur à Gallis in curru, quem leones trahebant. Eratque sedentis mulieris effigies lapidibus preciosis & metalorum diversis generibus vestita, turritam portans in capite coronam, & clavum in manu.

Expositio.

Galli magnæ matris comites aut sacerdo-

dotes erant, Hi testa ſamia virilitatem ſibi amputabant, unde à Naſone *ſemimares* vocantur: dicti autem à Gallo flumine Phrygiæ, quia, qui ex eo beberint, hoc furore capiuntur, ut ſe privent virilitatis parte. Tale *flumen* ut Plin. teſtatur, *calculoſis medetur, ſed in potando neceſſarius eſt modus, ne lymphatos agat.*

Cur ſe caſtraverint Galli, rationem pandit Herodotus, cujus verba ſubſcripſi: *Singulis* inquit, *diebus totum corpus eradebant Galli, ne quid eis inter Deorum cultus aut pediculi aut alterius ſordis crearetur: pluris enim faciebant ſe mundos eſſe quam decoros, unde etiam virilia circumcidebant.* Aliam autem rationem Servius ponit, ſic inquiens; *Atis puer ſpecioſus, cum magnæ matris ſacris praeſſet, à Rege civitatis ſuæ amatus eſt, à quo quum intelligeret vim ſibi inſtare, clàm in ſylvas profugit, ubi, cum inventus, vim ei ſtuderet inferre, verenda ſtupratoris abſtulit, qui moriens eandem ipſam corporis partem puero abſtuliſſe dicitur, quem cum Antiſtites Deæ ſemianimem ſub pinu inveniſſent, perlatum in templum fruſtra reficere conati, defunctum tumularunt. Cujus ut perpetua memoria maneret, magna mater inſtituit, ut quotannis in ſacris plangeretur, pinumque arborem tutelæ ſuæ* ad-

adſcripſit, effecitque, ut cultores ſui viriles ſibi partes amputarent gladiis ſuis, ut ſignificetur, omnibus pro terra ſua eſſe pugnandum.

Sciendum &, hoc Prophyrio philoſopho dicente, ut refert divus Auguſtus, à quo Euſebius non diſſentit, *Atin juvem excaſtratum nihil aliud ſignificare, quàm florem, qui decidit ante fructum.*

Leones matris Deorum currum trahunt, *quia* (ut placet Servio) *omnis feritas maternæ affectioni ſubjacet:* vel ut Macrobio, *quia hæc Dea terra eſt, quæ ab aëre vehitur, quem continet cœli ambitus, cujus natura ſimilis eſt leonum validorum animalium, impetu atque fervore.*

Suſtineri autem rotis eadem Dea dicitur, quia mundus rotatur & volubilis eſt. Sedet Deæ imago, nanque terra elementum eſt depreſſum ad infima.

Varius veſtitus, terræ ſignificat theſaurum, qui eſt metallorum & gemmarum virtus, At corona turrita, inæqualitatem terræ notat, quæ oppida, turres & montes ſuſtinet.

Turrium quoque Cebelem dixerunt inventricem, ſed Plinius libro ſeptimo capite quinquageſimo ſexto id muneris aliis aſſignat, inquit enim Thraſon, *muros, turres,* ut Theophraſtus *Ægyptii invenerunt.*

Simulachrum cum clavi hoc prætendit, quod terra verno tempore aperitur, hyemali autem clauditur, plura apud Macrobium invenies.

DE NOVEM. MUSIS.

CAPUT. LII.

Novem musas magni Jovis ex memoria scribit Hesiodus esse natas, licet Alcmæon poëta, cœli & terræ magnorum Deorum putaverit filias. Varro autem (ut scrribit Servius) *tres tantum Musas* commemorat, quia omnem sonum natura triformem esse constat. Aut enim voce editur, ut est eorum, qui buccis canunt: aut flatu ut tibiorum: aut pulsu ut lyræ & citharæ, quæ percutiendo sonora sunt.

Ob id autem postea novem esse finxere, quod quædam Græciæ civitas, apud tres artifices, terna quondam simulachra musarum facienda locaverat, eo consilio, ut tria, quæ pulchriora essent, emeret, & in templo Apollinis collocaret. Contigit autem, ut opera omnes æque pulchra formarent, propter quod cum Musæ omnes civitati placuissent, omnes pariter e-

mit, & in templo Apollinis dedicavit. His poſtea Heſiodus, vel (ut alii volunt) alii, nomina impoſuere. Primam à bonitate vocis dixere, καλλιόπην, ſecundam κλείω *à gloria & celebritate rerum geſtarum*, quas canit, hiſtoriarum enim fertur invenrix, tertiam ἐρατὼ, vel à *canendis amoribus*, vel quod *cantus* ob omnibus deſideretur. Quartam à *voluptate & laſcivia* cantus θάλειαν: θάλλειν enim *virere, germinare ſive floreſcere* eſt, quoniam nihil magis viret quam doctrina. Huic Muſæ ſerendarum arborum attribunt inventionem. Quintam μελπομένην, à *canendo*, vel *concentum faciendo*. Sextam τερψιχόρην, à *delectandis choreis*, ideo à quibuſdam Cithariſtria dicitur. Septimam ἐυτέρπην, à *ſuavitate concentus*. Octavam πολύμνιαν, à *multitudine carminum* ſive *laudationum*. Nonam οὐρανίαν, quaſi *cœleſtem* vel à *cœleſtium rerum cantu*, vel de *cantus divinitate*.

Proclus Diadochus in Heſiodicis enarrationibus ſcribit, Muſas ideo tradi Jovis filias & Mnemoſynes, quod, qui ad procinctum in literaria palæſtra deſideret, hunc neceſſe ſit in intelligendi percipiendique poteſtate, atque item retinendi præcipue pollere. Hæc Cœlius.

Eas

Eas dixerunt habitare in vertice Heliconis, qui mons est Bœotiæ, cujus radix sive fundamentum saxeum est, tetricum & adeo asperum, ut ad eas non pateat aditus, nisi per scrupulosam viam, in qua, antequam medium quis superaverit, multum sudarit & alserit per tot discrimina rerum, juxta illud Faustinum:

Alta Cleonæo quærenda est Fama labore.

Ab hoc monte Heliconiades appellantur. Nec procul distat à Parnasso Phocidis monte, æmulus illi & altitudine & ambitu, uterque nivosus, & rupes amborum saxea est, à quo Parnasides. & quoniam Phocici confinis est Aonia, etiam Aonides sunt dictæ.

Dicuntur item Cythæriades, à saltu, qui *Cythæron* vocatur, in quo similiter habitare musæ feruntur. Et Pierides à *Pieria*, quæ regio est Macedoniæ, Emathia antea dicta. Diuntur & Thespiades à *Thespia* oppido Heliconi propinquo, quod patria fuit Thespidis, quæ Musarum nutrix traditur fuisse. Item Hippocrenides ab Heliconis pulcherrimo fonte, qui à Græcis Hippocrene dicitur, hoc est *equi fons*. Et Pegasides, quod equis in eo fontis loco, saxum ungula feriens, fontem aperuerit. Quem equum putant esse hunc, qui in

cœ-

cœlo inter sydera collocatus est, quamvis alii Bellerophontis equum esse dicant.

Item Musæ Libethrides appellatæ à fonte Macedoniæ, qui Musis erat sacer Pipleides quoque sive Pipleæ à Pipleo Macedoniæ fonte sive vico, vel à Pipleo Orcomenorum monte, vel à Peplo genere vestis: Mnemosydes à matre Mnemosyne hoc est *memoria*.

Illas novem Musas sub tutela Appollinis esse fabulantur, quod typum humanæ vocis proferat is Deus, Musæ autem vocis instrumentorum (quorum sunt novem) exemplar, ut placet Aneximandro, sunt enim quatuor dentis anteriores, quorum si unus desit non jam vox sed sibilus oritur, duo labia, lingua, palatus, quem græco nomine οὐρανὸν vocant, & gutturis profunditas, interque hæc omnia Apollo, id est *humana vox* profluit.

Sic de Musis & earum inventis scribit Virgilius:

Clio gesta canens transactis tempora reddit,
Melpomene tragico proclamat mœsta boatu,
Cemmica lascivo gaudet sermone Thalia,
Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urget,

Ter-

Terpsichore affectus citharis movet, imperat, auget,
Plectra gerens Erato saltat pede, carmine, vultu,
Carmina Calliope libris heroica mandat,
Urania poli motus scrutatur & astra,
Signat cuncta manu, loquitur Polymnia gestu,
Mentis Apollineæ vis has movet undique Majas,
In medio residens complectitur omnia Phœbus.

ARGUS.

CAPUT LIII.

Argus filius Aristoris, per ambitum capitis multorum oculorum luminibus fuit, quorum solum bini capiebant somnum quod sic Ovidius 1. Transfor. indicat:

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat
Inque suis vicibus capiebant bina quietem.
Cætera servabant atque in statione manebant.

Is Junonis imperio custodisse fertur Inachi filiam, ejus Deæ pellicem, conversam in bovis formam. At Mercurius, à Jove missus, dulcedine cantus sopitum occidit, & oculorum multitudinem pavonis caudæ Juno imposuit, unde *avis Junonia* pavo dicitur. Argum fallere, quid sit, scribit Erasmus virtutum omnigenarum celeberrimus cultor, in proverbio: *Momo satis facere.*

Expositio.

Argus est cœlum stellarum luce distinctum, quibus inesse quædam species cœlestium videtur oculorum. *Cœlum autem*, teste Macrob. *Argum vocitari placuit, à candore & velocitate, Et videtur terra desuper observari, quam Ægyptii hieroglyphicis literis cum significare voluerunt, bovis posuerunt figuram.*

Is ergo ambitus cœli, stellarum luminibus ornatus, tunc existimatur enectus à Mercurio, cum sol diurno tempore observando, sydera veluti enecat vi luminis sui, conspectum eorum auferendo mortalibus. Nam Mercurio, solis ascripserunt naturam, ut est supra in capite 7. Hæc Macrobius.

DE PARCIS.

Caput LIV.

Do nomine.

Sunt qui à *parco* Parcas per Antiphrasin vocatas existimant, quod nemini parcant. Alii tamen, inter quos Varro est, à *partu* potius dictas putant, unius literæ mutatione, quoniam, ut scribit Hesiodus, vitæ hominum præsunt, & eam nendo ducunt, unde manibus habere fabulantur candida & nigra fila, per candida felicitatem, per nigra infortunium ostendentes, cujus rei testimonio est Papinius :

Jamque dies aderat, Parcarum conditus albo
Vellere.

Et Ovidius in Ibim.

Dixerat, & Clotho jussit promissa valere,
Nevit & infesta stamina pulla manu.

Propterea has lanificas appellari compertum est hoc Martialis disticho ex 6. lib. ad Aulum.

Si mihi lanificæ ducant non pulla sorores
Stamina, nec surdos vox habet ista Deos:

Theodontius Demogorgonis filias scribit fuisse, cum natura rerum creatas. At Cicero Herebi & noctis, qui & fata credidit eas, unde fatales nominari autumat. Quapropter illud Cleantis relictum est posteris: *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.* Et hoc quod Seneca scribit in Oedipode: *Fatis agimur, cedite fatis.* Martianus præterea non ignobilis author, Parcas Deorum scribas vocitat, quod sententias Jovis studio veritatis excipiant. Tres autem Parcas finxerunt gentiles, quas latini *Nonam*, *Decimam*, & *Mortam* dixere. Ait Aul. Gellius lib. 3. *à tempestivi partus tempore, hoc est à nono & decimo mense, in quibus secundum naturam pueri nascuntur. Mortam vero ab eo, quod qui nascuntur ante hoc tempus, vel post, quasi monstra habeantur, volunt enim septimo mense rarò pueros nasci, octavo nunquam, nono sæpe, decimo autem sæpius.* Quam rem uberrime tractat Plinius lib. 7.

Ultimam *Mœram* vocari, scribit Ja-

nus Parrhasius, in enarrationibus Claudiani, μοῖρα enim latinis parca sonat. A. Gellio tamen Lud. Cœlius consentire videtur qui ut hactenus scriptum est, *Mortam* habet & *Mœram* dici negat, libro 12.

Imagines Parcarum.

Has finxerunt Poëtæ lanificium exercere, ut una colum, id est, instrumentum nendi bajulet, Altera ex hoc filum trahat, tertia vero extractum secet. Quod eleganter hoc notavit carmine:

Clotho ferto colum, Lachesis trahit, Atropos occat.

Expositio.

Tres Parcæ, tria fata sunt numero, cum ratione temporis facientia, si potestatem earum ad ejusdem similitudinem temporis referas, inquit Apulejus in Cosmographiæ libro. Nam quod in fuso perfectum est, præteriti temporis habet speciem, & quod torquetur in digitis, momenti præsentis manifestat intervallum, quod autem nondum ex colo tractum est, subactumque curæ digitorum, id futuri & consequentis seculi, posteriora vi-

videtur ostendere. Ad quæ audiendus videtur Lactantius de Fatis disserens lib. 2. *Omnia*, inquit, *tribus necesse est contineri temporibus, præterito, præsenti, & futuro. Præteriti est origo, præsentis substantia, futuri dissolutio; quæ omnia in singulis hominibus apparent. Incipimus enim cum nascimur, & sumus cum vivimus & desinimus, cum interimus.*

DE VOLUPIA DEA.

CAPUT LV.

Aristippus sectæ Cyrenaicæ conditor & Eudoxus Philosophus nec astrorum inscius, tanto præconio & laude voluptatem exceperunt, ut eam summum bonum non sint veriti appellare. Hoc inde probantes, quod in voluptatem agminatim pedibus eant docti pariter & indocti, quibus nihil ratum, nihilque pensum videatur, nisi quod ex voluptatis vel lege sit vel decreto. Quos recto tramite sequi visus est Philoxenus, qui (ut Aristotelis Monumenta testantur) habere se collum gruis exoptavit, quo diutius edendi bibendique voluptate perfrui posset. Unde factum est, ut post Philosophos de-

bile quoque vulgus (*cui pronus est gressus*; Seneca dicente, *ubi voluptatis laus insonuit*) adeò in inextricabilem erroris inciderit Labyrinthum, ut voluptatem, tanquam Deam, colerent. Hos tamen cultores Heraclius cognomento Σκόπνος, strangulari dignos censuit.

Huic Deæ nomen fecerunt volupia; quæ in solio sedebat regali, quasi quædam Regina, sed pallida facie, & calcans pedibus virtutes.

Expositio.

Regalis ornatus, excellens Voluptatis repræsentare videtur dominium: Quæ licet omnes ferè ductu suo regat homines, tamen præcipuè ejus auspicio sic militasse legimus Sardanapalum Assyriorum Regem, Xerxem Persarum maximum, & Claudium Tiberium Neronem tertium Cæsarem, ut primus eorum suo inscripserit sarcophago, tantum se illa habere, quæ edisset, & per voluptates reliquas percepisset. Alter, ut repertori novæ voluptatis subordinarit præmium. Tertius verò, quod insolitum, & recens officium a voluptatibus dictum excogitarit. Quanto præterea cultu Huic servitium egerint Heliogabalus, Galenus, Vitelli-

us

-us Imperatores, eam Reginæ instar venerantes, multis enarrare supervacaneum sit, quoniam eorum ἀσωτία & luxus, quibus mancipati fuerunt, passim apud Autores leguntur. Quod magnum etiam ac præpotens Milesiis Regnum voluptatis visum sit, vel illud argumento est, quod Hermodorum virum clarissimum, quia frugalitatis & modestiæ erat amator, civitate ejecerunt.

Sunt & argumento Sibaritæ, qui eo anno, quo perierunt (ut Lampridius refert) depresso virtutum collegio, nova voluptatis sacrificia, quibus Heliogabalum reficerent, invenerunt. Tarentinos præterea, quibus Sabini ob immensum voluptatis cultum nomen dederunt teste Macrobio.

Pallor in facie timorem voluptuariorum significat, qui color eis est proprius, quoniam melle voluptatis gustato, semper mœroris quendam verentur aculeum, juxta illud Plautinum in Amphitr. *Ita Diis Placitum est, voluptati ut mæror comes subsequatur.* Cui eleganter subscribit Plato ad Dionysium: *voluptas* inquit *inquietudinem, quæ est mater palloris & macilentiæ, inscitiam & stultitiam parit.*

Quâ viâ demum Regina Voluptas pe-

dibus ſupprimat virtutes, uſqueadeò notum eſt, ut lippi atque tonſores, in vacuâ umbrâ id facile abſque diſſentione diſputent.

DE PROTEO.

Caput LVI.


Proteus Oceani, vel ut quidam volunt, Neptuni & Thetios filius, Deus marinus, & Phocarum cuſtos extitit. Hic ab Ovidio nuncupatur *Anguineus*, & à Franciſco Pico Mirandulano, *Vanus*, ob multiplices & inconſtantes formas.

Hujus effigies nullis lineamentis pingitur, quoniam in quaſcunque volebat formas, ſe vertebat, quod his Caminibus Poëta omnium Maximus indicat:

Omnia transformat ſeſe in miracula, taurum,
Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem:

& Lippius.

Flamma, leo, taurus, porcus, bos, fit lupus, unda,
Nec rupit vates vincula Ca[illegible]us.



Nodi solutio.

Sunt, qui Proteum esse ipsam veritatatem putent, quæ dum ratione ducitur ingenium, animis nostris fallaciarum nubila objectat, multa enim putamus vera, ac bona, quæ non sunt. Quoniam hìc ex voluptate summum bonum colligit, ubi Proteum in suem degenerasse concipimus. Hìc iram, crudelitatis conceptaculum, inter vitanda maximè opinatur; ubi in tigridem demutatio recognoscitur. Sed Draco eorum nobis errores manifestat, qui terrena puchritudine felicitatem metiuntur. Invenias, qui ambitione & superbiâ ubi Proteus Leo fit. Nam flamma etiam iræ typum habet. Fluvii præterea liquentis nomine, eos intelligimus, quorum sententia animæ post mortem corpoream tribuit nihil.

Eum Ptolemæus Ægypti Regem fuisse scribit, qui ob maximam disciplinarum peritiam in varias formas verti diceretur. Invenies alia apud Erasmum nostrum in proverbio: *Proteo mutabilior.*

DE HARPYIS.

CAPUT LVII.

Harpyiæ Neptuni prodigiorum patris & terræ filiæ ut Servius ait. At Hesiodus

dus Thaumantis ex Electra Oceani filia testatur natas. Sic à diripiendo dictæ, quòd in tantum rapaces fuerint. Prima Harum *Aëllo*, quasi ἑλῶ τἀλλον *alienum tollens*, dicitur. Secunda *Ocypite*, *citius volans.* Tertia *Celænum*, quod Græci *nigrum* vocant. Illas nempe scriptores sic nominant, quoniam ea omnia tantum significare videntur, quod amata concupiscimus primò, hinc expetita invadimus, postreniò harpagatum illatebramus.

Cujusmodi fuerint monstrosa Harpyiarum corpora, notum est abunde ex Virgiliano carmine. lib. 3. Æn.

Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla
Pestis, & ira Deus stygiis sese extulit undis,
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluvies, uncæque manus, & pallida semper
Ora fame - - - -

Allegoria.

Sunt qui scribant, ideò virgines fingi, quòd omnis rapina arida sit & sterilis; Ideò Plumis circumdatas, quoniam quicquid invaserit rapina celat: Volatiles autem, quod alis rapina ad volandum sit celerrima.

FINIS.

